

di Vincenzo Benedetto Bizzi ex Can.co Reg.e del S.to Salvatore e Preposito della Cattedrale di Piacenza.

XLVI — 19. L


EX LIBRIS XXIII
COMMENTARIORVM
IN VETERA IMPERATORVM
ROMANORVM NVMISMATA
AENEAE VICI
LIBER PRIMVS
VENETIIS
M·D·LX·
Cum priuilegijs
DEO
HOMINES
PROXIMOS
FACIT
ERT
NAPRICV
ET DESTRV
T OMNIA


AENEAE
VICI
TEN TANDA VIA EST


C·IVLIVS
CAESAR
DICTATOR
PERP·
PRAESTANTIOR

AD PIVM IIII. PONT. MAX.

IN LIB. COMMENTARIORVM *IN C. IVLI CAESARIS NVMISMATA* AENEAE VICI PRAEFATIO.





ETERVM maiorum nostrorum Beatiss. Pater, Pie Pont. Max. eximium consilium, prope diuina prudentia fuit. hoc cum ex alijs rebus multis aperte perspici potest, in quibus cum magna hominum vtilitate suæ illi magnitudinem sapientiæ declararunt, tum vero ex eo præcipue, quòd ad inflãmandos honestatis studio mortalium animos tam multa & tam præclara pepererunt, vt ea in hunc vsque diem ad similem laudem nostras facile excitare mentes possint. Quo in genere non solum statuæ, obelisci, columnæ, sepulchra, & cetera eiusmodi fuerunt, quæ ad famam virtutis eorum, qui generi humano iustitia, ac fortitudine sua viuentes consuluissent, post mortem propagandam esse comparata cernimus; sed etiam ærei, argentei, atque aurei nũmi. in quibus

partim

partim eminentem eius, quem ſibi honore illo afficiendum ſuſcepiſſent, effigiem expreſſerunt, partim etiam hiſtoriam aliquam ad eiuſdem res geſtas, moresq; pertinentem, quibuſdam obſcurioribus, quaſi Aegyptiorum hieroglyphicis, effinxerunt. Quo genere honoris primum apud Romanos C. Cæſarem Dictatorem, atque inde alios eius exemplo imperatores conſtat eſſe ornatos. Me autem, cum ab ineunte ætate ueteri Romanorum memoriæ deditus eſſem, in primis hæc doctrinæ ratio delectauit, vt obſcuram præ ceteris, ac uariam nũmorum ueterum interpretationem, quoad poſſem memoria, ac notitia comprehenderem. Itaque cum infinitum prope eorum numerum ex omnibus Europæ partibus mihi paraſſem, atque in hac cognitione multorum annorum ætatem atq; operã conſumpſiſſem, nihil tandẽ me ab hominũ utilitate, cuius optimus quisq; maxime rationẽ habere debet alienũ, facturum ſum arbitratus, ſi, doctorum hominum exemplo, quorum hac ætate ad Romanarum rerum memoriam renouandam uidebam ingenia exarſiſſe, Cæſarum unius, & quinquaginta nummis exponẽdis illorum temporum hiſtoriam in tres, ac uiginti libros incluſam, in uulgus ederem. Ex ijs primus eſt, quo C. Cæſaris Dictatoris nummos, quos uiderim, omnes ſum complexus, ut non eos ſolum mea interpretatione planiores fecerim, ſed etiam mea manu è ueteribus nummis expreſſerim. Nam cum ego in omni antiquitatis genere, ubicunq; pictura ad referendã imagines requiritur, multa quotidie inſciẽter & abſurde cõ
mitti

mitti animaduerterẽ, quia non,cuius ingenio rerum antiquarum imagines exponerentur, eiuſdem quoq; manu pingerentur ,ac ſæpe incidere,ut longe aliter, ac res eſſet,imitatione rudis artifex redderet, neceſſarium eſſe duxi,ut ipſe omnes nummos mea manu, (neq; enim in hoc munere mediocriter ſum uerſatus) deſcriberem, atque ita artificis opus ad interpretis conſilium accommodarẽ. Reliqui deinceps ſuis quisq; temporibus apparebunt.eſt enim res nõ ſummi ſolum ſtudij, ſed ſumptus etiam, quod ipſe cum aliqua rei familiaris meæ iactura ſum expertus,prope infiniti. Hunc autem,qui nũc editur,de C.Cæſare librum ego in tuæ potiſsimũ Sanctitatis nomine apparere cenſui oportere ob eam ſimilitudinem,quã in præſtantia magnarũ virtutum inter Sanctitatem tuam, & C. ipſum Cæſarem intercedere intellexi. Nam cum mente,ac ratione complector,Cæſarem inuenio non ſolum ceteris omnibus ſacerdotijs, ſed etiam Pontificatu maximo præditum,Romanæ urbis Imperatorem,præterea Patrem patriæ appellatum, eundẽ piũ,clementem, iuſtum liberalemq;, fuiſſe. Quæ quin eadem in tuæ Sãctitatis moribus,ac uita eluceãt omnia, neminem iam eſſe puto,qui dubitet.ea enim Pontificatum maximum gerit,ea imperium Romæ, atq; adeo in uniuerſa terra chriſtianis conſentientibus obtinet. ea Parens eſt reip. Chriſtianæ,in qua adminiſtranda non ſolũ nomine,ſed etiam re omnem pietatem, clementiam, ac iuſtitiam exprimit. &, quod cauſam noſtrã propius attingit,eadem litterarum cognitione non modo eſt affa-

 tim

tim instructa, sed ingenijs quoq; eorum, qui litteris dediti sunt, mirifice fauet. huc accedit incredibilis familiæ tuæ splendor, cui me, in primisque Cosmo, Florentiæ Duci II. domino meo perpetuo, eidemq́; Sanctitati tuæ carissimo, omnia iampridem obseruantiæ, ac pietatis officia debere multis de caussis intelligo. Accipiat igitur hunc librum libēti animo Sanctitas tua, exiguum animi mei incredibilis erga ipsam testimonium, eumque, cum grauioribus à muneribus uacabit, legat. interea dabo operā, ut augustam eius speciem oris, ad æternam virtutum, ac Pontificatus eiusdem memoriam ex ære omni mea industria, atq; artificio, quàm proxime ad ueritatem licet expressam, breui ad eam mittam.

C. IVLI CAESARIS DICTATORIS VITAE EPITOMA,

Ab Aenea Vico Parmenſe ſcripta.



C. Ivlivs Cæſar, gentis patriciæ, natus eſt Romæ, patre C. Cæſare, viro clariſſimo, auo item C. Cæſare, matre vero Aurelia, ſpectatæ pudicitiæ femina, C. Mario VI. & L. Valerio Flacco Coſ. Quinctili menſe, anno vrbis DCLIII. is, ante annum patre amiſſo, annum agens XVII. Flamen Dialis, qui ſummos inter Flamines honor fuit, deſtinatus eſt. Affinitate cum Cinna quater Conſule contracta, cum eius filiam Corneliam vxorem duxiſſet, à Dictatore Sylla, quòd affinitate Mario erat coniunctus, (amita enim Cæſaris Iulia Marij iunioris mater fuerat) dote vxoris, hereditatibus gentilicijs, ac Flaminio multatus, vrbe aufugit; poſteaq; in Sabinis à militibus Syllanis deprehenſus, duobus ſe talentis, Cornelio eorum duci traditis, redemit. mox, propinquorum, ac Veſtalium interceſſione impetrata venia, patriæ reſtituitur. Prima militia, quæ fuit ei in M.Thermi Prætoris contubernio, bello Mithridatico, in Mitylenarum expugnatione ciuicam coronam accepit: deinde à Nicomede, Bithyniæ rege, diſcedens, ad quem cum claſſe miſſus fuerat, à Ciliciæ piratis captus, quinquaginta talenta pro redemptione ſoluit. hos ſtatim abeuntes perſecutus, captos patibulo affecit: quod illis inter iocum ſæpe minatus erat. Annum ætatis agens XXI. Conſulibus P. Seruilio Iſaurico, Ap. Claudio Pulchro, Syllæ morte audita, propere Romam reuerſus, Tribunatus militum honorem, eum,

qui suffragio populi mandabatur, (nam & Tribuni mil. praeterea erant, Rufuli dicti, quos creabant Consules) obtinuit. Quaestor Iuliam amitam, vxoremq; Corneliam mortuas, laudauit: moxq; duxit Pompeiã: postea vlteriorem Hispaniã sortitus est. Dehinc Aedilis curulis creatus cum M.Calpurnio Bibulo, cũ quo postea Consul Consule grauiter de republica contendit, praeter Comitium, ac forum, basilicasq;, Capitolium etiam, porticibus ad tempus extructis, ornauit. Spectacula gladiatorum, trecenta ac viginti paria, cum plura dare S. C. inimicorum opera ad eum impediendum facto, vetaretur, venationes etiam, & varij generis ludos, pompas, atque conuiuia sumptibus immẽsis exhibuit. Marij subinde statuas triumphales, victorias, trophaea Iugurthina, Cimbrica, atque Teutonica, olim à Sylla disiecta, vbique auro micantia, in Capitolio restituit. Mortuo deinde Q. Caecilio Metello Pio, Numidici filio, Pontifice maximo, in eius locum creatus est Pontifex, superatis profusissima largitione duobus potentissimis competitoribus, Q. Lutatio Catulo, principe Syllanarum partium, & P.Seruilio Isaurico, vtroque Consulari, Isaurico etiam triumphali, sub quo ipse in Cilicia militarat, cum & inter Augures cooptatus esset. Postea vrbanus Praetor factus, post praeturam vlteriorem Hispaniam sortitus, ibi, animaduersa Alexandri imagine, illacrymasse fertur, pertaesus ignauiam suam, quòd in ea aetate, qua iam Alexander tot gentes suo subiecerat imperio, anno scilicet aetatis XXXIII. nihil ipse memoria dignum effecisset. Pacata prouincia, & in amicitiam concordiamq; adductis ciuitatibus, solita festinatione sua, non expectato successore, ante exitum anni, Romam profectus, spreto triumpho, Consulatum cum M.Bibulo Calpurnio, quem & in curuli Aedilitate collegam habuerat, obtinuit. Post Consulatum, socero L. Calpurnio Pisone, & Cn. Pompeio Magno genero, suffragantibus, imperium Galliarum cum Illyrico per quinquennium, lege à P. Vatinio Tribuno pl.lata, impetrauit: quo temporis spatio matrem Aureliam amisit. Ibi maximis bellis admirabili vigilantia, consilio, virtute confectis, rursus in aliud quinquennium imperio

perio

perio prorogato, nouem annis, primum quinque, deinde decem legionibus vſus, omnem ferme Galliam, quæ à ſaltu Pyrenæo alpibusq; & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, perdomuit, atque pacauit, & in prouinciæ formam redegit: in qua octingenta vi cepit oppida, trecentos ſubegit populos. Contra Heluetios deinceps, atque Germanos, bellica virtute maxime omnium inſignes, exercitu ducto, egregie pugnauit. Aggreſſus deinde Britannos, Romanis antea ignotos, tributarios fecit. Diſciſſa interim inter Cæſarem & Pompeium, ob Iuliæ mortem, affinitate, indignatione commotus, propter iniquas in ſe, amicosq; paucorum, ſed potentium ciuium iniurias, mira celeritate Romam exercitu ducto, ærarium per multos annos, atque adeo multa ſæcula intactum, ſpoliauit, ipſum Pompeium Italia expulit, Conſulem ſe iterum, collega P. Seruilio, Iſaurici filio, Dictatoremq; fecit. In Hiſpanijs mox Petreium, L. Afranium, M. Varronem, Pompeij legatos, deuicit: Maſſiliam cepit. Comite inde fortuna (quanquam virtuti magis, quàm fortunæ, debuit) inimicitias perſequens, in Pharſalia Pompeium debellauit: & irrequieto victoriæ curſu profectus in Aegyptum, Ptolemæum regem, Cleopatræ fratrem, cum qua mox conſuetudinem habuit, acie vicit, Cleopatramq; reginam conſtituit. Inde celeritate ſumma Pharnacem, Mithridatis Magni filium, profligauit, victoriam tribus tantum verbis amicis ſignificans, veni, vidi, vici. in quo Pompeij Magni obtrectaſſe gloriæ creditus eſt, cum à ſe minimo negocio victas oſtenderet eas gentes, quarum victoria Pompeius Magni cognomen adeptus erat. tunc tertium Conſul, totidem Dictator creatur. nam in antiquis nummis ita diſtinguuntur numero Dictaturæ, vt Conſulatus. Tres inde præſtantiſs. duces, Scipionem Metellum, olim à Metello Pio adoptatum, Pompeij ſocerum, Afranium, & Iubam, Mauritaniæ regem, in Libya ſuperauit; vnoq; menſe quater triumphauit, de Gallia, Alexandria, Ponto, & Africa, in quo triumpho Iubam, Iubæ regis filium, qui inter clariſſimos rei ruſticæ ſcriptores poſtea annumeratus eſt, infantem admodum captiuum duxit. Hinc quar-

tum Consul, quarto Dictaturæ anno (Dictaturam enim perpetuam, itemq; Consulatum per decennium acceperat) in Hispania Pompeij liberos periculosissima omnium pugna deuicit: quintum ac nouissimum duxit triumphum. in quo illud sciendum, quinque eius triumphos diuerso quenque fuisse apparatu, & instrumento. Ingentia iterum tunc dedit militibus congiaria, plebi spectacula: conuiuia celebrauit: epulum præbuit: gladiatorium insuper, nauale certamen, ac venationes addidit. Ad rempublicam deinde conuersus, vetera multa correxit, noua instituit: ordinationem anni ad cursum Solis redegit: ciuium Romanorum censum egit: Senatum, bellis ciuilibus exhaustum, suppleuit: patricios allegit: Prætorum, Aedilium, Quæstorum, minorumq; magistratuum numerum ampliauit: vestium, ac victus sumptus nimios lege coercuit: auri ne quis, vel argēti vltra drachmas XXV. M. possideret, lege renouata, interdixit: pœnas facinorum auxit: peregrinarū mercium portoria instituit. Q. Fusio Caleno, & P. Vatinio Cos. anno vrb. DCCVI. Cleopatra regio comitatu vrbem ingressa: lecticarū vsus, item purpurearū vestium, quæ conchyliatæ dicebātur, & margaritarū interdictus est ijs, quæ nec viros, nec liberos haberēt, & minores essent annorū XLV. reliquis omnibus, per certos tantum dies, concessus. Medicos, ac liberalium artium professores, plurimas etiam vrbes iure ciuitatis donauit. Pictorum, sculptorum, cælatorum opera, tum gemmas, ac margaritas maximis pretijs comparauit, eademq; liberalissime donauit, vt Seruiliæ Bruti matri, quam ad senectutem dilexit, margaritam sexagies H-S emptam, idest scutatis, vt nunc loquimur, aureis centum octoginta millibus. Hæc etiam de ordinanda, instruenda, ampliandaq; vrbe meditatus erat: Marti templum magnificentissime extruere: ex immensa legum copia, optimas quasque, & necessarias conferre in libros: bibliothecas Græcas, & Latinas, quàm maximas posset, publicare: Dacos, qui se in Pontum & in Thraciam effuderant, coercere: mox Parthis, sępe in Syriam finitimasq; Romani imperij prouincias irrumpentibus, cæde etiam M. Crassi, & Romanarum legionum insolenter

Drachmæ, siue Denarij XXV. M. totidem sūt Iulij Romani, siue Marcelli Veneti argentei, qui ad Venetā monetam redacti cōficiunt summam scutatorū 2238 lib. 5. solidos 5.
Nota Liuij verba li. 4. bel. Macedo. Cautum erat, quo ne plus auri & argenti facti, quo ne plus signati argenti & æris, domi haberemus. vide Dionem lib. xlj.

lenter gloriantibus, recuperandi militaria ſigna, à Craſſo amiſſa, cupiditate adductus, inferre bellum: medio expeditionis tempore Corinthiacum perfodere Iſthmum: viam munire à mari ſupero per Apennini dorſum ad Tiberim vſque: emittere Fucinum lacum: Pontinas poſt hæc, Setinasq; effundere paludes, vt campum aperiret, compluribusq; mortalium millibus opem, atque ſubſidium afferret: Anienem ac Tiberim fluuios, ne in poſterum vrbem inundarent, ſtatim ex vrbe profunda exceptos foſſa, & ad Circeios vſq; traductos, Terracinæ immittere mari. proximo etiam Romæ mari aggeris firmiſſimi clauſtra opponere, cum cæca & malefida nauibus ſaxa ex Hoſtienſi littore excidiſſet, portusq; & tanta dignas nauigatione ſtationes extruere cogitabat. quæ tam præclara, tam vrbi Romæ, Italiæ, orbi terrarum commoda, maiora omnino, quàm quæ antea præſtiterat, quæ immortali digniſſima præconio omnes iudicant, illata ei à familiariſſimis amicis mors, ne perficeret, effecit. Vxores quatuor habuit, Coſſutiam, diuitem admodum, prætextato deſponſatam, quam, annos natus XVII. dimiſit: Corneliam, Cinnæ quater Conſulis filiam, ex qua Iuliam filiam ſuſcepit, mirum in modum amauit, mortuam pro Roſtris de more laudauit. Pompeiam, Q. Pompeij filiam, L.Syllæ neptem, repudiauit; quòd eam adulterium cum P. Clodio in templo Bonæ Deæ commiſiſſe ſuſpicaretur. Calpurnia, L.Piſonis filia, ei ſuperſtes fuit. Eunoem, ſiue Euriem, Mauram, Bogudis, regis Mauritaniæ, vxorem, dilexit, ſed ardentiſſime Cleopatram, ex qua etiam Cæſarionem ſuſcepit filium, quem Auguſtus poſtea, capta Aegypto, necari iuſſit, cum vnum oportere eſſe Cæſarem diceret. Ad libidinem ita pronus fuit, vt illuſtrioribus feminis Romanis minime pepercerit: ſiquidem in ſuis monumentis plerique tradidere, corruptas ab eo Poſtumiam Ser. Sulpicij, celeberrimi iuriſconſulti, vxorem; Lolliam, A.Gabinij; Tertullam, M. Craſſi; Muciam, Cn. Pompeij: præcipue Seruiliam, M. Bruti matrem, dilexit, eiusq; filiam Tertiam, C. Caſſij, qui eum percuſſit, vxorem. Cibi potusq; parciſſimus. Rapinarum, ac ſacrilegiorum per prouincias,

& Italiam, etiam in vrbe, infamia notatus eſt. Complurima ſcripſit, è quibus nihil ad nos peruenit, præter quaſdam epiſtolas familiares ad Ciceronem, & belli Gallici, ac ciuilis contra Pompeium Commentaria, inter bellorum occupationes ita luculenter, & ornate conſcripta, vt eum non eloquentia minus, quàm militari virtute, valuiſſe conſtet: & Cicero, princeps in eloquentia, in eo libro, quem de claris Oratoribus compoſuit, dubitare ſe oſtendit, cui nam è ſummis oratoribus Cæſar deberet cedere. Rhodi enim ab Apollonio Molone, clariſſimo dicendi magiſtro, vna edocti fuerant: & aliquandiu facultatem oratoriam in foro eximia ingenij fama exercuit. Fuiſſe traditur excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisq; oculis, vertice caluo, & ob id laurea, à Senatu decreta, libenter velato, valetudine proſpera; capitis dolore vexabatur: nouiſſima ætate repente animo linqui, atque etiam per ſomnum exterreri ſolebat. bis comitiali morbo correptus: exercitatione ſumma corporis, eximiaq; in victu continentia liberatus eſt. Circa corporis curam moroſior: armorum, & equitandi peritiſſimus, laborum patiens, cautus, audax in primis, inconficiendis rebus ſtrenuus, in expeditionibus cunctis non tam fortunæ munere, quàm ſua virtute, ac vigilantia, omnium feliciſſimus. Equo inſigni, pedes prope humanos habente, vtebatur. Prodigia contempſit, vel etiam ad lætioris euentus ſignificationem ingenioſe detorſit: vt cum, initio belli Africani, prolapſus in terram, Teneo te, inquit, Africa, videlicet victoriarum omen non aliunde, quàm à virtute, petens. In opprimendis ſeditionibus militaribus ſeuerus, conſtans, moderatus, in vlciſcendo leniſſimus fuit, vt nihil obliuiſceretur magis, quàm iniurias: in militibus incitandis vehemens, idemq; comes in laboribus, & periculis: in amicos, & bene meritos facilis, indulgens, liberalis: in parentes, & proximos, atque, quod mirum videatur, inimicos etiam inſigni pietate fuit: ſed vna maxime ex omnibus eius virtutibus clementia enituit: victis enim Pompeij liberis in Hiſpania, reuerſus in vrbem, cunctos omnino, qui aduerſus eum arma

ma tulerant, ignouit: multos etiam magistratibus honestauit. quodq; iniquissimum, maximeq; miserandum fuit, clementia mortem ei peperit; cum percussorum duces fuerint, quibus ille victis vitam concesserat, M.Brutus, & C.Cassius, Prætores etiam ab eo creati. Atque hic tamen, diuinus plane vir, nisi tot virtutes vitijs quibusdam inquinasset, conspiratione in eum ob inuidiam gloriæ facta per sexaginta ciues, C.Cassio, & M.Bruto, Seruiliæ, eius amicæ, filio, & Decimo Bruto Albino principibus, in Pompeij Curia, & ante illius statuam Idibus Martijs, spectante Senatu, ipso quinctum, & M.Antonio Cos. anno vrbis DCCIX. tribus & viginti vuulneribus confossus est, anno ætatis suæ quinquagesimo sexto, Dictaturæ vero quincto, C. Octauio, sororis suæ Iuliæ nepote, herede relicto, & in familiam nomenq; adoptato. Fuerat coniuratis animus, corpus occisi in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere: quæ fieri in tyrannos leges iubent. sed metu M.Antonij Consulis, & Magistri equitum M. Aemilij Lepidi, destiterunt. Illud facinus primo neque grauiter Populus tulit, neque factum lætatus est. quare Senatus de conciliatione percussorum, & Cæsarianorum censuit, Cæsari mortuo diuinos honores, Antonio Consule hortante, decreuit. Funus in Campo Martio insigni pompa celebratum: rogus iuxta Iuliæ filiæ tumulum extructus: pro Rostris aurata ædes ad simulacrum templi Veneris Genetricis collocata, intra quam lectus eburneus, auro ac purpura stratus, & ad caput trophæum cum veste, in qua fuerat occisus: idq; Cósulis Antonij astuto consilio, vt eo aspectu iram Populi aduersus Cęsaris percussores commoueret: luctu publico, summis honoribus, corpus combustum est. Columna deinde, quam mox Dolabella Consul euertit, ad viginti pedum lapidis Numidici in foro erecta, sic inscripta: PARENTI PATRIAE, ad quam diu sacrificatum, vota suscepta, nomine Cæsaris ad iusiurandum adiuncto: multa præterea ad eius honorem decreta, quæ suis locis in nostris Commentarijs exponentur. Magnus interfecti Cæsaris Genius omnes eius paricidij participes vltor insectari visus est. neque enim percussorum quisquam,

nisi

nisi violenta morte,interijt: & quasi semen quodam eius sanguis, & cinis inter ciues sparsum, ea peperit bella, quæ non modo ciuibus luctuosa, verum orbi quoque terrarum vniuerso funesta, calamitosaq; fuerunt. Is tamen consecutus exitus est, vt adoptatus ab eo, & in filij locum ascitus, deuictis & paternis, & suis hostibus, Romanum imperium tranquilla pace, maximeq; diuturna possiderit, diuinisq; post obitum honoribus, æque ac pater eius, consensu omnium maximo sit affectus.

C · IVLIVS CAESAR

I



II



III



IIII



V



VI



VII



VIII



IX



X



XI



XII



Tabula I


C · IVLIVS CAESAR



























Tabula II


C · IVLIVS CAESAR
I
I
II
Cos · D · A ·
L · IVLI · F
CAESAR
EX ARGENTo
EX ARGENTo
EX ARGENTo
II
III
III
CAESAR
EX ARGENTo
IIII
Cos · II ·
IIII
Dict · II ·
V
IMP COS ITER
C CAESAR
EX ARGENTo
PRO COS
EX ARGENTo
C CAESAR COS ITER
EX AVRO
V
VI
VII
PR
M ANTONIVS
EX AVRO
EX ARGENTo
EX ARGENTo
Tabula III


C · IVLIVS CAESAR
VII
VIII
VIII
CAESAR
EX ARGENTo
EX ARGENTo
CAESAR
EX ARGENTo
IX
X
XI
XII
XIII
XIIII
XV
Cos · III
XV
Dict · III
XVI
C · CAES DIC TER
EX AVRO
L · PLANC PRAEF VRB
EX AVRO
C · CAESAR DIC · TER
Tabula IIII

C·IVLIVS CAESAR

XVI



XVII



XIIX



XIIX



XIIX



XIIX



XIX



XIX



XX



XXI



XXII



XXIII



Tabula V


IVLIVS CAESAR
XXIII
XXIIII
XXV
L·MVSSIDIV
LONGVS
EX ARGENTO
L·MVSSIDIVS LONGVS
EX ARGENTO
EX ARGENTO
XXVI
XXVII
XXIIX
L·BVCA
EX ARGENTO
ET EX AVRO
L·FLAMINIVS
IIII VIR
EX ARGENTO
M·METELLVS
EX ARGENTO
XXIX
XXX
XXXI
M·METTIVS
EX ARGENTO
C·COSSVTIVS MARIDIANVS
EX ARGENTO
XXXII
XXXIII
XXXIIII
Tabula

C·IVLIVS CAESAR

Cos V · Dict·V

XXXV



XXXVI



XXXVII



XXXVIII



XXXIX



XL



XLI



XLII



XLIII




XLIII



XLIII



XLIIII



Tabula VII

DIVI IVLI

XLV



XLVI





XLVII





XLVIII





















Tabula VIII

COMMENTARIORVM IN C. IVLI CAESARIS DICTATORIS NVMISMATA

AENEAE VICI PARMENSIS LIBER PRIMVS.





NON vereor, quin, cum ego hoc tempore res hactenus, vt opinor, ab hominum cognitione remotiſſimas, non tam eorum, qui litterarum ſtudium contempſerunt, quàm eorum, qui ſuam omnem operam in illuſtranda antiquitate poſuerunt, mandare litteris inſtituam, illud à me pleriq; ſint poſtulaturi, vt in huius libri exordio, de vtilitate, quæ ex veterum nummorum, quos mihi his libris exponendos propoſui, percipi cognitione poteſt, quæ certe varia, ac multiplex eſt, copioſe diſſeram. verum, ſi ij meminerint, ea me de re duobus libris antea diligenter egiſſe, non dubito, quin ijdem facile hoc me, non admodum neceſſario, diſputationis onere liberaturi ſint: præſertim vero, vbi conſilium mihi eſſe intellexerint, in ijs rebus tantummodo, quas alij aut negligentia præterierint, aut voluntate neglexerint, laborare. id quod hactenus me in cæteris præſtitiſſe facile omnes teſtari poſſunt: quip

pe cum ego primus, id quod pace aliorum dictum velim, viam ad obſcuras veterum numiſmatum notas interpretandas oſtenderim. Hoc autem loco ſatis eſſe duxi, libris XXIII. Cæſarum vnius, & quinquaginta, quorum penes me numiſmata ſunt, auerſas notas explanare, à C.Iulio Cæſare vſque ad Gallienos, inter quos quadraginta ſunt, qui Auguſti dicuntur. quos libros viſum eſt ita diuidere. Numiſmata ſex Imperatorum tam aurea, & argentea, quàm ærea ad veram magnitudinem expreſſa, dominante Cæſare percuſſa, à principio belli ciuilis vſque ad Neronem imp. ſex libris digeſſimus. Septimus inde liber ea, quæ ſunt Galbæ, Vitellij, & Othonis, continet. inde Veſpaſianorum, & Domitiani, tres, qui ſequuntur. à Nerua ad Antoninum Pium quatuor reliqui. L. Veri, & M.Aurelij quintus decimus. Deinceps, Commodi, quæ fuerunt, in ſextum decimum coniecimus: Pertinacis vſque ad Peſcennium Nigrum Iuſtum, (ſic enim in eius nummo nunc lego) Clodium Albinum & Seuerum in ſeptimum decimum: Getæ, & Caracallæ in decimum octauum: Macrini, & Elagabali in decimumnonum: poſtremo Alexandri nummis explanandis XX. liber eſt dicatus: Maximini vſque ad Hoſtilianum ſenem XXI: duorum Philipporum XXII. Decij vſque ad Gallienos XXIII: Singuli libri titulum præ ſe ferunt noua, ac diuerſa ratione ornatum. Omnium præterea Cæſarum imago varijs parergis inſignita erit, in quibus effigies erunt, & ſigna cum eius principis natura, moribus, virtutibus, & vitijs congruentia: vt altera quaſi animi imago oris imagini adiuncta eſſe videatur.

Iam vero poſt vitas principum omnes eorum capitum partes, quę aliqua nota erunt diuerſæ, in tabulis numeris ſignantur. poſt capitum tabulas omnes quoque numeris notatæ erunt numiſmatum partes auerſæ; quos numeros ſecutus quiſque, earum explanationes facile poterit inuenire. quibus eadem in ipſis tabulis numiſmatum exemplaria addentur, vt quem quiſque nummum cupiat, eum facile pro ſuo arbitrio inuenire poſſit, cum vno conſpectu in tabulis omnes intueatur, vacuis etiam locis pro omni partitioue in tabulis aſſignatis, vt, ſi in nummos hic non deſcriptos quis

quis inciderit, per ſe typos adijcere poſſit; contra vero, ſi quis alicuius unmmi expoſitionem requiret, dum illam legat, propoſitum cōtinuo ante oculos nummum ipſum habeat. nobis enim curæ fuit, numiſmata ita inter ſe nectere, vt quaſi cathena quadam ſe deinceps inter ſe traherent. quod idem in explanāda per ſingulos deinceps annos hiſtoria inſtitutum ſeruaui. Qui quàm moleſtus, ac difficilis labor ſit, qui ſe poſt me ad hoc ſtudium contulerint facile iudicare poterunt: quàm autem vtilis, ac fructuoſus, res ipſa declarat; quippe cum ad notitiam hiſtoriæ conſequendam nihil eſſe ordine accommodatius conſtet. Huius autem totius operis tanquam exemplar, ac typus erit hic liber, in quo nummi C. Iuli Cæſaris Dictatoris explicantur: poſt quem cæteri, prout quiſque abſoluetur, deinceps edentur: adeo vt idem liber ſæpius non ſit comparandus, & à me, tanquam ex altera Africa, noui quotidie aliquid expectetur. fit enim, vt ſæpe, contra quàm ſperauimus, aut fato, aut immatura morte prærepti nullum laborum noſtrorum in vita fructum videamus, & labores noſtros cum vita ipſa amittamus. Quare non inutilem rem alijs, nec fortaſſe ſine aliqua mea laude putaui me facturum, ſi hos aliquando, qualeſcunque eſſent, ingenij, atque induſtriæ meæ fructus ſtudioſis harum artium hominibus impertirem, quos ego XII. annorum interuallo collegi, partim diuerſis veteribus nummis & in omnibus Italiæ angulis, & extra Italiam ex nobiliſſimis clarorum virorum Muſæis, ex aurificinis, à mercatoribus, collybiſtis, agricolis, & alijs huius generis hominibus, apud quos hæc reperire potuerim, conquirendis, eisq; mea manu exprimendis, atq; in ære incidendis, partim ex infinita Græcorum, & Latinorum ſcriptorum, quos legi, memoria, repetendis, quorum etiam verbis ad maiorem enarrationis meæ fidem ſæpe vſus ſum. Neque vero ſatis habui, nummos ipſos diligenter intueri; (ſiquidem nullus in his libris nummus erit, quem non viderim) ſed eorum etiam ectypa apud me habere volui. quorum numero ſunt præſertim ij tum ærei, tum argentei, atque aurei, qui in nobiliſſimo quoque Muſæo cuſtodiuntur, quorum à dominis eorum liberaliter mihi co-

pia facta eſt. quos ne merita laude fraudarem, idoneis locis omnes enumerare decreui. Neque vero horum omnium, quos commemoraturus ſum, nummis ſolum ſum vſus, ſed ad hos etiam, quos meo mihi ſumptu paraueram, addidi. quanquam in eo adeo fortuna mihi eſt aduerſata, vt, quod celeriter exequi potuiſſem, id differre coactus ſim, eorum præſertim, à quibus adiuuari debebam, ope deſertus. Verum diuina aſpirante benignitate, & aliquorum amicorum liberalitate ex parte adiutus, quorum nomina loco idoneo non tacebo, dabo operam, vt promiſſa præſtem: modo intelligam, induſtriam hanc, & voluntatem meam harum diſciplinarum ſtudioſis eſſe non iniucundam. Huius autem diſputationis meæ à Venere capiam exordium. Hæc enim in nummis Cæſaris eſſe videtur efficta, vt eſſet gentis Iuliæ monumentum, quæ à Iulo Aſcanio traxit genus, qui fuit Veneris nepos: vt, cum de Cæſare ſcriberem, primam eius originem demonſtrarem, quæ ab Ilio Aſiæ oppido fluxit, euerſo à Græcis anno poſt orbem conditum 4020. vnde etiam Atia familia manauit, ex qua originem duxit materno genere primũ Cæſar Auguſtus, deinde multis poſt ſæculis nobiliſſima in Italia principum Eſtenſium familia: quæ cũ ante Atia diceretur, poſt ab Ateſte, oppido municipij Patauini clariſſimo, olim imperij ſui ſede, mutato antiquo familiæ nomine Eſtenſis eſt appellata: quemadmodum vir eruditiſſimus, Hieronymus Faletus, Alfonſi II. Ducis Ferrariæ apud Senatum Venetum Legatus, elegantiſſime oſtendit in hiſtoria Ferrarienſium principum. Atiam vero gentem antiqua ſtirpe ab Ati Troiano, Iuli Aſcanij Aeneæ filij ſocio, eſſe profectam, ſatis aperte docuit poeta, cum ineundæ ab Auguſto gratiæ cauſſa, cuius mater Atia fuit, ita cecinit:

Alter Atis, genus vnde Atij duxere Latini,
Paruus Atis, pueroq; puer dilectus Iulo.

Quod idem teſtimonio Seruij interpretis confirmatur. Vbi vero de ſigno Veneris dixerimus, tum & de Cæſare, cuius cauſſa nummus excuſus eſt, diſputabimus. atque hoc inſtitutum in cæteris deinceps tuebimur.

BELLI

BELLI CIVILIS INITIO

ANNO AB VRBE CONDITA DCCIIII.

C. IVL. CAESARE COS. DICT.



ROMAE CAPITIS GALEATI, ET AMORVM VENEREM MATREM IN CVRRV TRAHENTIVM, IN NVMMO I. COMMENTARIVS.





LLVD omnium fere veterum ſcriptorum teſtimonio perſpicuum eſt, Iuliam gentem iam inde ab Aſcanio, vt dixi, Aeneæ filio repeti, cui cognomen fuit Iulo, à prima eius menti lanugine, cum Mezentium ſingulari certamine ſuperauit. quod Seruius tradit, cum verſum illum exponit:

At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo,
Additur.

Et à Venere deductum eſſe, veluti ab illa, quæ Aeneæ fuit mater, atque dicti Iuli auia: quod quidem & ipſe Cæſar clare oſtendit apud Suetonium in Cæſare, in habita oratione pro Iulia amita

defuncta,

defunčta, dicens: Amitæ meæ Iuliæ maternum genus ab regibus ortum, paternum cum dijs immortalibus coniunčtum eſt. nam ab Anco Marcio ſunt Marcij reges, quo nomine fuit mater: à Venere Iulij, cuius gẽtis familia eſt noſtra. Igitur cum Iulij à Venere orti ſint, hoc in nummo argenteo, quem ego pulcherrimum habeo, Veneris ipſius ſimulacrum, ſceptrum dextera tenentis, vtpote reginæ generationis, formauerunt, duobus Cupidinibus currum trahentibus, cum cithara, & inſcriptione: L. IVLI. L. F. ab altero latere, vrbis Romæ caput galeatum, cum litteris: CAESAR, hoc eſt Lucius Iulius Lucij filius Cæſar. Venus exponitur, generandi totius naturæ virtus, vt Euſebius in libris de Præparatione Euangelica: ob idq; apud Thebanos, teſte Pauſania in Bœotijs, Veneri tria conſtituta fuere ſimulacra, varijs cognominibus inſignita, quorum alterum Vraniam appellarunt, Pandemum alterum, tertium Apoſtrophiam. Cognomina hæc Veneri Hormoniæ impoſuiſſe aiunt: Vraniam enim à caſto amore, hoc eſt cæleſti: Pandemum à coitu, & generatione: Apoſtrophiam, vt à cupiditate nefaria & facinoribus ſceleſtis genus humanum auertatur, dici volunt: ſiquidem tres fuiſſe Veneres dicunt; vnam ex Cœlo patre, & Dia matre, natam apud priſcos: & hanc honeſtæ rei præſidere volunt: alteram ex virilibus Cœli, & ſpuma maris: & huic turpes congreſſus aſſignant: tertiam Iouis, & Diones nymphæ filiam, ex qua Aeneam natum tradunt. Verum Poetæ, quæ fiunt à tribus Veneribus, vni omnia aſcribunt, quòd vnam cœleſtem naturam putant omnium effečtuum cauſam, quanquam per diuerſos fiant: hacq; de cauſa vnam tantum Venerem pingunt: cuius virtutem his celebrat Lucretius:

Aeneadum genitrix, hominum, diuumq; voluptas,
Alma Venus, cœli ſubter labentia ſigna
Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferentes
Concelebras: per te quoniam genus omne animantum
Concipitur, viſitq; exortum lumina Solis.

Vnde etiam illud eſt Virgilij in Venere:

Vina ſitim ſedant: natis Venus alma creandis

Seruiat:

> Seruiat: hos fines transilijsse nocet.

Duo porro Veneris currum trahunt Cupidines. nam ex ea totidem natos Amores poetæ asserunt, vt Ouidius Amorum libri tertij elegia vltima:

> Quære nouum vatem tenerorum mater Amorum.

Et quarto Fastorum idem:

> Alma faue, dixi, geminorum mater Amorum.

Hinc illud etiam est Silij:

> Cum sic suspirans roseo Venus ore decoros
> Adloquitur natos.

Quorum alter est cœlestis & diuinus, alter vulgaris, vt dixi, atq; plebeius, vt in Symposio docet Plato. ille ad operationes honestas, iste ad turpes congressus impellit. ideo Veneris currum trahere fingunt, quòd omnium effectuum sunt causæ, & ex eis omnia procedunt, & oriuntur. Alioquin autem duo hoc in nummo Amores sunt descripti, quoniam ueteres ex Venere una duos natos coluere Cupidines; alterum ex Vulcano, ex Marte alterum, quem Anterota appellant, genitos: & hoc propter naturæ consensum, conuenientiamq;, vel hominum mutuam animorum coniunctionem, quibus hic à veterum superstitione præfectus fuit, atque existimatus mutuis vinculis per quasdam vicissitudines ac reciprocationes animos,& rerum Genios illigare; hominesq; parum in amore gratos vlcisci: iccirco amore & œstro succensi, cum se despici animaduerterent, hoc inuocabant numen ad eum virum, vel feminam plectendam, quæ in amore grata minime fuerat,nec mutuas operas dederat. de hoc intellexit Maro, de Didone loquens, Aeneidos quarto:

> si quod non æquo fœdere amantes
> Curæ numen habet, iustumq;, memorq; precatur.

nam & Seruius eam Anterota inuocare interpretatus est; licet non recte, quis sit Anteros, explicasset, cum numen Cupidini contrarium existimauerit, vt vir eruditissimus Cælius Calcagninus disputat, atque plane ostendit. Huius autem vim, & natalem iucundissimo apologo Platonicus Porphyrius complexus

est,

eſt, cuius verba in Latinũ verſa hic ſubijcienda duxi. Quo tempore, inquit, Venus Cupidinem peperit, pulcher alioqui ac venuſtulus puer ille viſebatur: vt qui nec tantillum à matre pulcherrima degeneraret. Cæterum haud quaquam excreſcebat in magnitudinem, ac ſtaturam, quæ pulchritudini reſponderet: ſed manebat plurimum tempus eo habitu, quo natus erat. Anxia igitur eam ob rem, atque inops conſilij mater affligebatur; nec minus Gratiæ infantis nutrices. itaque oraculum Themidos adeuntes, (nondum enim Apollo Delphis præſederat) orabant ſupplices, vt ad inſolitam, ac nulla non admiratione dignam calamitatem aliquod remedium inueniret. tum Themis. At ego vos, inquit, hac ſolicitudine leuabo. nec enim ſatis naturam & ingenium infantis videmini perſpexiſſe. Nam tuus iſte verus Amor ò Venus naſci forſitan ſolus poteſt: creſcere autem ſolus non poteſt. Quod ſi cupis vt adoleſcat, Anterotis opera opus eſt, qui reciproco amore, beneuolentiæ vices rependat. Erit autem ijs fratribus hoc ingenij, vt viciſſim alter alteri mutuetur & largiatur incrementum: & ſi ſe mutuo intueantur, æquali propagine germinabunt. ſin vero alter deficiat, ambos peſſum ire oportebit. Hoc vſa conſilio Venus Anterotem parit. Quo vixdum edito in lucem, Cupido ſtatim adoleſcere, enataſq; repente pennas explicare cœpit, etiam procero corpore incedere. Qui cum huic ſorti obnoxius ſit, miris plerunque & inauditis conflictatur ærumnis. Nam interdum pullulat, interdum defloreſcit: rurſus augetur, ita tamen, vt nunquam non præſentia fratris indigeat: quem ſi grandeſcere animaduerterit, longe grandior ipſe effici contendit. Sin vero puſillum exiguumq; eſſe deprehenderit, ſæpe vel inuitus elanguet. Porphyrij præterea eundem Apologum apud Cælium ſic his digeſtum carminibus habes:

Mulciber adlectat Veneri, cogitq; volentem:
 Illa deum blande pellicit, ille deam.
Cypride natus Amor: natum excipit Ilithyia:
 Illi faſciolas ſedula Iuno parat.

Nymphæ

Nymphæ arridentes, puero plena vbera præbent:
Sponte leo parui cruſcula lambit heri.
Metitur ſacrum ad fontem Venus aurea natum:
Et nihil à prima creſcere mole dolet.
Quid facto ſit opus, Naturam & Pallada poſcit:
Hæc atque hæc Themidem conſuluiſſe monet.
Dic dea, qua natus ratione adoleſcere poſſit,
Diua Erycina petit, & pia ſacra facit.
At dea turrigera crinem redimita corona,
Rurſus, ait, Cypris eſt pariendus Amor.
Ad Venerem Mauors properat: comes hæret eunti,
Qui ſero lucis nuncius ales erit.
Nam poſtquam iunctos nouit Vulcanus amantes,
Heu heu furtiuis texit vtrunque dolis.
Luteolos inter flores, dulcesq; miniſtras,
Iam Venus alterius mater Amoris erat.
Quem circa Charites ſolitis amplexibus hærent,
Atque hilares ſoluunt dulcibus ora modis.
Euoe conclamant Satyri, Nymphæq; renident,
Et cœlum & terras mutuus vrget amor.
Iamq; Venus artus æquabat Amoris Amori;
Creuerat inq; vices alter & alter Amor.
Arma laborantes illis Cyclopes anhelant,
Arma, quibus miſere pectora mille gemunt.
Nec procul hinc Phœbus teſtudine pulſat eburna:
Ad citharam ſe ſe frater vterque mouet.
Atque adludentes pietatis in alite ſidunt:
Pomaq; per numeros hic rapit, ille iacit.
Iamq; chorus longe maior ſuccreuit Amorum,
Iamq; cupidinea cuncta peruſta face.
At geminum gemini monumentum & pignus Amoris,
Aethereo genitor ſummus in axe locat.

Verum cum hi duo eſſe videantur fratres, Cupido ſcilicet, & Anteros, vnum etiam tantummodo numen exiſtimauerunt, vt

apud eundem Calcagninum in Anterotis epigrammate ſacro ita declaratur:

Hic vnus colitur, ſed vnus ille
Implet munia numinum duorum,
Et poteſt geminus vocari & vnus:
Et, quod vix licet æſtimari, in illo
Bis vnum duo non facit, ſed vnum.
Hæc vis ſcilicet Anterotis illa eſt:
Hæc vis mutua mutui eſt amoris.
Hæc binas animas coire cogit,
Atque vna geminum calere pectus.

Plures autem Cupidines etiam fuiſſe veteres tradidere: Cicero in III. de Natura Deorum tres meminit: primum enim ex Mercurio & Diana, ſecundum ex Mercurio & ſecunda Venere, tertium, quem Anterotem dicunt, ex Marte & tertia Venere genitos ait. quorum ſimulacra in æde Veneris Genetricis fuiſſe, veterum ex libris cognoſcitur. Anteros enim apud Athenienſes colebatur, cuius ara tum in vrbe fuit, teſte Pauſania in Atticis. Philoſtratus vero in Iconibus quatuor perinde Amores fuiſſe oſtendit. Eſt præterea, vt arbitror, inter hos & ille, qui Lethæus Cupido nuncupatur, ſic dictus à Lethe fluuio: cuius aquæ vis eſt, vt, ſi quis eam guſtauerit, omnium præteritarum rerum obliuiſcatur. qua de cauſa in templo Veneris Erycinæ Lethæi Cupidinis imago colebatur: quia is omnem amorem tollere, ac amicitiæ obliuionem inducere putabatur. ex eo lepidiſſimus poeta Naſo libro de Remedio Amoris ſecundo, hæc carmina protulit:

Eſt prope Collinam templum venerabile portam:
Impoſuit templo nomina celſus Erix.
Eſt illic Lethæus Amor, qui pectora ſanat,
Inq; ſuas gelidam lampadas addit aquam.
Illic & iuuenes votis obliuia poſcunt,
Et ſi qua eſt duro capta puella viro.

Quare ſunt, qui Lethæum Cupidinem, & Anterota ſimul colendum dixerint, vtpote quorum contraria natura putetur eſſe: ita

vt alterum

vt alterum ſine altero minime poſſe conſtare affirmauerint. ſiquidem & ex illa rerum conuenientia,& naturæ coniunctione, quam Græci ſympathiam vocant, & ex illa naturali rerum differentia, & repugnantia, quam antipathiam appellant, mundus conſtare & conſeruari videtur. Hinc in nummo addita eſt cithara propter concentum, & coniugationem, concordiamq; omnium naturæ virtutum generationi rerum concurrentium. qualis agnoſcitur brumali ſolſtitio, quod fit in Capricorno, cum, fidibus ad concentum compoſitis, ſi neruorum pars vna attingatur, pars reliqua excitata vltro reſpondet, nemine percutiente.hinc illum naturæ concentum cithara ſignificauit Porphyrius:

Nec procul hinc Phœbus teſtudine pulſat eburna,
Ad citharam ſe ſe frater vterque mouet.

Eoq; magis, cum cithara ſit muſicale inſtrumentum, Vraniæ,quę vna dicitur ex Muſis, & apud nos cœleſtis interpretatur, & propterea duobus Amoribus recte conuenit. Verum,quo argumento cithara figurata ſit, in ſequentibus libris explicabitur. Percuſſum eſt igitur hoc numiſma hoc cum ſigno, vt Iuliorum generis nobilitatem declararent, de qua præter ipſum Cæſarem, & pleroſque alios,magna illa Troianæ propaginis tuba Virgilius Aeneidos libro primo teſtata eſt:

Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar,
Imperium Oceano, famam qui terminet aſtris,
Iulius, à magno demiſſum nomen Iulo.

Velleius etiam, Appianus, & Strabo de ea ſcripſere. Hic, inquit Velleius, nobiliſſima Iuliorum genitus familia, &, quod inter omnes antiquiſſimos conſtabat, ab Anchiſe ac Venere deducens genus, forma omnium ciuium excellentiſſimus. Appianus autem libro Ciuilium ſecundo, Nocte media, inquit, perfectis ſacris Martem inuocauit, eiusq; parentem Venerem. Ex Aenea quippe & Iulio eius filio Iuliorum genus, vt ex nomine intueri licet, videtur emanaſſe. Strabo Geographiæ libro XIII. Cæſar vero,inquit,quia & Alexandri amantiſſimus fuit, & certiſſima cum Ilienſibus cognationis ſigna habebat, impen-

dio ad beneficium incitabatur, certissima quidem, quia Romanus erat, Romani autem authorem generis Aeneam putant. Iulius enim ab Iulo quodam vno ex progenitoribus, & ille ab Iulo cognomen hoc habuit, qui vnus fuit ex posteris Aeneæ. Vt ostenderent ergo Iulium genus à Venere ortum esse, L.Cæsaris nomine, vt inscriptio ipsa ostendit, nummus hic signatus est, siue Iulius sit Sexti nepos, qui Consulatum gesserat cum P. Rutilio anno vrb. DCLXIII. quo de Plin. meminit lib. II. cap. XXX. vel duorum sit alter Cæsarum, qui Prætor fuerat, Syllanas partes secutus, iussu Marij occisus est, cuius mẽtio extat apud Ascon. in orationis Commentario pro Scauro: vel ille fuerit Lucij nepos, in Consulatu C.Figuli collega anno ab vrbe DCLXXXIX. vt in Fastis Capitolinis descriptum est, & apud Cassiodorum, de quo meminit etiam Cicero in Oratione pro P.Sylla, atque passim in alijs, Sallustius in Catilinarijs, & Pedianus. Sed tamen ego potius arbitror vel L. Cæsarem illum fuisse adolescentem Vticæ pro Quæstore, de quo Suetonius in Cæsare meminit, qui, à C. Cæsare Arimino occupato, priuati officij caussa cum Pompeij mandatis de pace agenda ad Cæsarem venit, vt idem Caius in primo Commẽtariorum de bello Ciuili libro scripsit, atque mox ab ipso C.Cæsare capta Vtica, cum à clementia eius veniam impetrasset, nõ multo post iterum transfugam factum, interfectum fuisse A. Hirtius tradit. Mea potius opinio est, L.Cæsarem huius patrem fuisse, C.Cæsaris tunc Legatum, vt ipse Caius eodem in loco, & septimo de bello Gallico Commentariorum scriptum reliquit, qui Cæsare in Alexandrinos bellum gerente, à M.Antonio, equitum ipsius Cæsaris Magistro, Præfectus vrbis creatus fuerat, vt Dio libro XLII. tradidit. Nam Cæsaris Dictatoris minime patrem esse certum est, licet iuniores nonnulli, prænomine huius decepti, Lucium appellent, quorum & ego cum auctoritatem sequerer in mea primorum XII. Cæsarum Genealogiarum Tabula, superioribus annis ad Cosmum Medicem Florentinorum Ducem II. descripta, lapsus sum. nam in Capitolinis litteris scriptum est: C. IVLIVS C. F. C. N. CAESAR: quod

quod inter omnes nostræ ætatis eruditissimus, atque diligentissimus, rerumq; antiquarum summus illustrator Carolus Sigonius Mutinensis primus obseruauit. Verum, quia signum huius numismatis Iuliorum testatur originem, siue sit à prioribus à me supra descriptis Cæsaribus, siue à L.Cæsare, C.Cæsaris Legato, siue ab eius filio, aut à quouis alio impressum, inter nummos Cæsaris Dictatoris reponendum duxi.



VENERIS CAPITIS, ET AENEAE PARENTEM GESTANTIS SIGILLI, IN NVMMO II.

COMMENTARIVS.





ODEM etiam argumento, hoc quoque in argenteo nummo quas Veneris ab vna parte vides, ab altera Aeneæ filij, imagines ſignatæ fuerunt, Aeneæ inquam Anchiſem patrem ſenem ac imbecillum ferentis, ſecumq; ab excidio Troiano Palladium trahentis. Nummus quidem hic præter ceteros complures conſpicuos apud humaniſſimum, liberaliſſimumq;, & in omni genere veterum ſignorum ditiſſimum principem Ioannem Grimanum, Aquileienſem Patriarcham, tum doctrinæ, tum virtutis, ac pietatis laude nemini ſecundum, habetur. De Iuliorum autem gente, auo, abauoq; Virgilius in ſecundo Aeneidos ait:

Ergo age chare pater ceruici imponere noſtræ:
Ipſe ſubibo humeris: nec me labor iſte grauabit.

Et paulo poſt idem ſubiungit:

Tu

Tu genitor cape ſacra manu, patrioſq; Penates:
Me bello è tanto digreſſum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.
Hæc fatus, latos humeros, ſubiectaq; colla
Veſte ſuper, fuluiq; inſternor pelle leonis:
Succedoq; oneri.

Idem libro ſexto de Aenea Sybillam adloquente, dicit:

Illum ego per flammas, & mille ſequentia tela
Eripui his humeris, medioq; ex hoſte recepi.
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagiq; minas, cœliq; ferebat
Inualidus, vires vltra, ſortemq; ſenectæ.

Hoc quidem pietatis Aeneæ, ac fortitudinis exemplo, ſtatuam cum aliorum nobilium Romanorum, præſertim Iuliorum, atque deûm ſimulacris, in Martis Vltoris templo poſtea ab Auguſto ſtatutam fuiſſe, Ouidius narrat Faſtorum libro quinto.

Perſpicit Armipotens operis faſtigia ſummi,
Et probat inuictos ſumma tenere deos.
Perſpicit in foribus diuerſæ tela figuræ,
Armaq; terrarum milite victa ſuo.
Hinc videt Aenean oneratum pondere charo,
Et tot Iuleæ nobilitatis auos.


Hoc nempe ſcitu dignum eſt, quod Appianus tradit ciuilium ſecundo, Cleopatram, accepto à Cæſare Aegypti regno, in Veneris Genetricis templum, ab eo ædificatum, perilluſtrem Deæ imaginem contuliſſe, eamq; ad Hadriani Imp. vſque tempora extitiſſe. Signatus eſt hic nummus permiſſu Cæſaris, fortaſſe prius quam Conſul & Dictator iterum crearetur, ad Iuliorum familiæ nobilitatem oſtentandam: quo genere ipſum maxime gloriari ſolere compertum eſt. De Palladio autem in præſenti verba non facio; quia commodiori loco inferius omnia, quæ ad id pertinent, declarabo.

FVGATO POMPEIO

ANNO AB VRBE CONDITA

D C C V.

CAESARE COS. II. DICT. II.



SICILIAE CAPITIS, ET EIVSDEM PROVINCIAE

IN NVMMO IIII.

COMMENTARIVS.







SICILIAM, Italiæ insulam, quam à tribus promontorijs, quæ in ea sunt, & Trinacriam appellant, Cæsar, pulso ex Italia Pompeio, per C. Curionem, duarum legionum eius Legatum, M. Catone præfecto cedente, nullo marte obtinuit, testibus Appiano Ciuilium II. & Dione XLI. Floro in quarto, & Orosio in VI. testibus. Qua ratione huius prouinciæ formam in argenteo nummo, quem

quem vidi apud doctissimum virum, Ioannem Sambucum Tirnauiensem, Pannonium, ab A. Allieno, Cæsaris Prætore, ac Siciliæ pro Consule signatum esse arbitror. In A. enim Hirtij Commentariorum libro de Bello Africo deprehendi A. Allienum, Cæsaris Prætorem, in Sicilia pro Consule fuisse, ac in bello contra Iubam Scipionemq; gesto, ab eodem, tanquam seditiosum, inutilemq; ex eius exercitu ignominiose dimissum esse. verum apud scriptorem non Aulum, sed Titum, licet tantum vno in loco, librariorum, vt arbitror, incuria, prænominari reperio. Quare nummi auctoritate ductus emendandum locum esse censeo, vt A. non T. legatur. Hirtij igitur quasi in limine libri quinti verba hæc sunt: Deinde Allieno Prætori, qui SICILIAM obtinebat, de omnibus rebus præcipit, & de reliquo exercitu celeriter imponendo. Datis mandatis, ipse nauem conscendit ad VI. Cal. Ian. &c. Et inferius eodem in libro, inquit: Quorum lachrymis querelisq; Cæsar commotus, cum antea constituisset, in statiuis castris, æstate inita, cunctis copijs auxilijsq; coactis, bellum cum aduersarijs gerere instituit, litterisq; celeriter in SICILIAM ad Allienum, & Rabirium Postumium conscriptis, & per catascopum missis, vt sine mora, aut vlla excusatione hyemis ventorumq;, exercitus sibi quamcelerrime transportaretur, &c. atque paulo post idem ait: Allienus interim pro Consule è Lylibæo in naues onerarias imponit legiones decimam tertiam, & decimamquartam, & equites Gallos DCCC. funditorum, sagittariorumq; mille, ac secundum commeatum in Africam mittit ad Cæsarem, quæ naues ventum secundum nactæ, quarto die ad Ruspinam, vbi Cæsar castra habuerat, incolumes peruenerunt. Idemq; mox inquit: Interea ex secundo commeatu quem à SICILIA miserat Allienus, nauis vna, in qua fuerat Q. Comninius, & L. Ticida eques Romanus, ab residua cum errauisset, delataq; esset vẽto ad Thapsum, à Vergilio scaphis nauiculisq; actuarijs excepta est, & ad Scipionem deducta. De eius quidem ex Cæsaris exercitu dimissione, apud eundem Hirtium eodem in libro sic legere est: T. Allieno, M. Tyro, C. Clu

ſiane, cum ordines in meo exercitu beneficio, non virtute conſecuti ita vos geſſeritis, vt neque bello fortes, neque pace boni, aut vtiles fueritis, & magis in ſeditione, concitandisq́; militibus aduerſariorum noſtrorum imperatoris, quàm pudoris, modeſtię́q; fueritis ſtudioſiores, indignos vos eſſe arbitror, qui in meo exercitu ordines ducatis, miſſosq́; facio, &, quantum poteſtis, abeſſe ex Africa iubeo. Ciceronis etiam epiſtolarum Familiarium libro XIII. duæ extant epiſtolæ Allieno Siciliæ pro Conſule. Caput illud in priori facie nummi cum inſcriptione: C. CAESAR IMP. COS. ITER. ipſius prouinciæ imaginis eſt. mulier illa, quę nuda in auerſa parte cóſpicitur, dextro pede innixa roſtro nauis cum litteris: A. ALLIENVS PRO COS. ipſius eſt prouinciæ imago. ſignum illud, quod dextera tenet, tria ſunt fæmora cum cruribus à genu recuruis, quæ ſymbolice formam, ſitumq́; inſulæ oſtendunt. ſiquidem deltæ Δ figuram habere ipſam conſtat geographorum deſcriptione, vnde & Triquetram, hoc eſt triangularem vocant. tria enim crura illa, totidem promontoria indicant, quæ in ea ſunt, Pelorum, quod ad Italiam vergit; Lilybæum, ad Africam; & Pachinum ad Græciam: de quibus ita meminit Ouidius Metam. libro V.

Vaſta giganteis iniecta eſt inſula membris
Trinacris, & magnis ſubiectum molibus vrget,
Aethereas auſum ſperare Tiphœa ſedes.
Nititur ille quidem, tentatq́; reſurgere ſæpe,
Dextra ſed Auſonio manus eſt ſubiecta Peloro,
Læua Pachyne tibi, Lilybæo crura premuntur,
Degrauat Aethna caput, ſub qua reſupinus harenas
Eiectat, flammamq́; fero vomit ore Typhœus.

Eius ferocitatem & formam quoq; meminit idem in IIII. Faſtor.

Terra tribus ſcopulis vaſtam procurrit in æquor,
    Trinacris à poſitu nomen adepta loci.
Grata domus Cereri, multas ea poſſidet vrbes,
    In quibus eſt culto fertilis Enna ſolo.

Hanc autem primam omnium prouinciam appellatam fuiſſe teſtatur

ſtatur Cicero in quarta Verrinarum, & Prætoribus datam fuiſſe, poſtea præſidibus commiſſam, mox à Conſularibus fuiſſe admini ſtratam. qua de re Liuius libro VI. Paterculus, & Polybius in primo, Plutarchus in Marcello, & Florus libro II. ſcripſere. Hoc obiter etiam adnotandum eſt, vt ne quid, quod ad hanc rem faciat, prætermittam, Siculos poſt Cæſaris necem ab Antonio Conſule, data ei grandi pecunia, ciuitate donatos fuiſſe, fingente illo, legem à Dictatore Cæſare comitijs latam, quod docet Cicero Epiſtolarum ad Atticum libri XIIII. epiſtola X. Huius inſulæ ambitũ ferunt protẽdi ad ſtadia quatuor milia CCCLX. Aetnæ vero craterem patere ambitu ſtad. L. Situm autem latiſſime deſcripſere Ptolemæus libri III. cap. IIII. tabula VII. Strabo libro VI. Iuſtinus libro IIII. Polybius primo libro Belli Punici primi. Thucidides plura, Pomponius Mela libri II. cap. V. Solinus Polyhiſtor. cap. X. Dionyſius de ſitu orbis; Diodorus Bibliotheces VI. Plinius libri III. cap. VIII. & Stephanus de Vrbibus. Ex poetis Virgilius in III. Aeneidos, Lucanus in III. Pharſaliæ, item Lucretius, & Claudianus de Raptu Proſerpinæ in primo, atque paſſim alij. Cæterum quam fortunam ipſa deinde paſſa ſit, Cuſpinianus ita docet in Scholijs: Eodem pene anno, ijſdem temporibus, Sicilia & Sardinia in Romanam poteſtatem redactæ ſunt, (Hæc Cuſpinianus ex Solino) poſtea fuit ſub imperatoribus, ad Carolum vſque Magnum. Diuiſo tunc imperio, ceſſit Conſtantinopolitano Cæſari. Poſt Saraceni afflixerunt: deinde Comites Siciliæ orti ſunt, tandem Reges, ſed à diuerſis diuerſimode afflicta eſt hæc inſula, quemadmodum docent eius annales. hactenus Cuſpinianus. nunc vero ſub rege eſt Hiſpaniarum Philippo, Diui Caroli V. filio, & à pro regibus adminiſtratur. Hanc recepit Cæſar Conſul iterum, hoc eſt fugato Pompeio, vt Florus inquit libro IIII. anno vrbis DCCV. ſignauitq; eam in hoc nummo argenteo, qui apud Ioannem Sambucum, rerum antiquarum amantiſſimum, egregieq; intelligentem, & apud Stephanum Magnum, patricium Venetũ, aſſeruatur. IMP. ille titulus in priori latere, eſt, quem poſt aliquam inſignem

victoriã exercitus dare consueuerãt ducibus; ciuilis quidẽ appellatio, nam alium porro regiũ imperatoris nomen nõ prius habuit, quàm omnium victor quinto eius Consulatu honores supra humanos passus sit. quod aperte ostendit Appianus Libycæ historiæ procemio, scribẽs: Caius autem Cæsar, superatis Romanis, „ imperioq; suscepto, & in potestatem redacto, formam quidem „ politiæ nomenq; seruauit, re autem principem se cunctis præstitit. „ Estq; in hanc vsque ætatem eadem sub vno potestas principe, „ quos neutiquam Romani reges appellant, vetus iusiurandum, „ vt ego arbitror, in primis veriti, imperatores eos dici maluere: „ quod priscorum ducum nomen fuit. sunt autem re ipsa vere re- „ ges, à quibus ad ætatem vsque nostram anni fere ducenti elapsi „ sunt. sic ille. Dextero autem pede innititur imago rostro na- „ uis, vt ostenderet exercitum iussu Cæsaris nauibus ex Sicilia in „ Africam transmissum, vt ex Hirtio supra retuli.



SVPERATO IN HISP. PETREIO, AFRANIO, ET M. VARRONE.

ANNO VRBIS DCCV.

CAESARE COS. II. DICT. ITER.



IN PIETATIS CAPITIS, ET RELIGIONIS SIGNORVM NOTAS IN NVMMO V. COMMENTARIVS.







POST deuictos à Cæſare apud Ilerdam, citerioris Hiſpanię oppidum, M. Petreium, & L. Afranium; in vlterioreq́; Hiſpania M. Varronem, Cn. Pompeij Legatos, captamq́; Maſſiliam, ipſo Romam reuerſo, ac iterum Conſule facto, vt Florus libro IIII. & Dio libro XLI. teſtatur, Publioq́; Seruilio Iſaurico in collegam aſſumpto, anno ab vrbe DCCV. quo & iterum Dictator fuit, eodem Dione

Dione teſte libro XLII. per A. Hirtium, eius Prætorem, excuſum eſt aurum in faciem Pietatis Cæſaris ſtola velatam, titulusq; ab vna parte: C. CAESAR COS. ITER. ab altera vero tria tantum religionis inſtrumenta ſignata ſunt, Lituus ſcilicet, Guttus, (Vrceolo enim hic penitus ſimilis eſt, præterquam quòd breuiore collo eſt) & Securis, cum hac inſcriptione: A. HIRTIVS PR. Caput enim hoc Pietatis eſſe, ex numiſmate æreo Druſi Cæſaris, Tiberij Auguſti filij, comperitur, quòd hac forma & filo illud ſe habet, cum ſubſcriptione: PIETAS, Pietas porro cum erga parentes, vel ſanguine coniunctos, ac in patriam, deosq; officium, cultumq; ſignificet, cum honeſta de numine eorum opinione, merito Cæſari, vtpote maximo Pontifici, huius deæ ſigillum, tanquam ſacrorum omnium principi, conuenire videtur, eoq; magis, cum pietatem in patriam, & in amicos, quin, quod mirum videatur, & in ipſos inimicos oſtenderit, atque adeo ſe pro patriæ libertate pugnare teſtatus ſit, Pompeium tyrannum, ſe vero patriæ libertatis vindicem dictitans, & re vera oſtendens. Quin mox, victo illo, eiusq; caſtris potitus, cum proſtrata hominum cadauera cerneret, ſuſpirans dixiſſe fertur: hoc voluerunt, huc me neceſſitatis adduxerunt. Subinde in Aegypto, viſo Pompeij capite, & annulo, multas effudiſſe lachrymas, caputq; adornari, & ſepelliri iuſſiſſe, Dio tradit libro XLII. Socios etiam illius, ac familiares, quotcunque eam peragrantes regionem, in Ptolemæi regis venerant poteſtatem, vniuerſos beneficentia, ac liberalitate proſequens, magna ſibi pietate conciliauit, atque Romam ad amicos ſcribens maximum & iucundiſſimum colligere ſe fructum dixit, quòd ciues, quos aduerſarios ſibi ſemper habuerat, conſeruaſſet. quæ tradita ſunt à Plutarcho. Hæc ipſo Cæſare vna cum Seruilio Conſule, vt Velleius ait, acciderunt. Hic à Senatu accepto vnico Imperatoris nomine, Liberator etiam patriæ appellatus eſt: ac ideo Libertati templum publico erectum decreto fuiſſe, apud Dionem legitur libro XLIII. De Cæſaris autem Conſulatu ſecundo, Florus libro IIII. cap. II. ſic ſcribit: Nec Pompeius ab Italia, quàm Senatus ab vrbe, fugatur prior: quam pe-

ne va-

ne vacuam metu Cæſar ingreſſus Conſulem ſe ipſe facit. Appianus Ciuilium ſecundo, licet à Floro aliquantum diſſideat, ita inquit: Cæſar Romam reuerſus, trepidante adhuc Populo, neque Senatu aut Conſule illum eligente, ſe ipſum Dictatorem nominauit. Verum, ſiue vt inuidiam dilueret, ſiue quòd magiſtratu minime indigeret, per vndecim ſolum dies illi præfuit. ſic enim nonnulli aſſerunt. Conſulem ſe in futurum deſignauit, Pompeiumq; Iſauricum ſibi collegam aſſumpſit. ſic Appianus. quod & ipſe Cæſar tertio Ciuilium Commentariorum ſcripſit. De Lituo autem, & Securi late ſcripſi inferius in Numiſmate XIX. & XIIX. De Gutto enim vaſe ſacerdotali ita meminit Plinius libro XVI. cap. XXXIIX. M. Curius iurauit ſe ex præda nihil attigiſſe, præter guttum faginum, quo ſacrificaret. & Horatius Satyra VI.

Pocula cum cyatho dum ſuſtinet, aſtat echinus
Vilis cum patera guttus

Et Iuuenal. Satyra III.

& ſonat vnctis
Strigibus: & pleno componit lintea Gutto.

Gellius libro XVII. cap. VIII. dicit, Guttum vaſis eſſe genus in quo oleum aſſeruabatur. In ſacris quidem moris fuiſſe apud veteres, vt hoſtiarum exta, dum ſuper aram cremabantur, madeſcerent oleo, quo facilius exurerentur, edocet Maro in illis:

Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis,
Pingue ſuperq; oleum fundens ardentibus extis.

Teſtatur Varro, Guttum dici à gutta, quòd propter colli anguſtiam humor inde guttatim efflueret. Quantum vero ad inſcriptionis A. HIRTIVS PR. explicationem, A. Hirtius Prætor à Cæſare creatus fuerat tunc primum, cum ipſe ex Gallijs aduentans, vrbem ingreſſus, ſe Conſulem deſignauerat, tunc eum magiſtratum gerentibus L. Lentulo & C. Marcello, quod vel Tranquilli verbis cap. XLI. conijci poteſt, vbi inquit: Senatum ſuppleuit, patricios allegit: Prætorum, Aedilium, Quæſtorum, minorum etiam magiſtratuum numerum ampliauit. Idem etiam ex Appiano conſtat, qui loco ſupra dicto ita ſubiungit: Prætores

vero

vero ad prouincias, prout libuit, aut miſit à ſe, aut immutauit: in Iberiam M.Lepidum, in Siciliam A.Albinum, in Sardiniam Sex. Peduceum delegauit. Galliæ nuper ſubactæ Decimum Brutum præſidere iuſſit. &c. Quin Cæſarem priori numero Prætorum aliquot adieciſſe, duos, qui frumenti copiam in vrbe curarent, qui dicti Cereales, & alios, qui ærarij curam haberent, expletumq́ue quatuordecim, ſiue XVI. numerum, ait Dio libro XLIII. licet de creationis Prætorum tempore valde diſſentiat ab Appiano: quanquam etiam Feneſtella tantum duodecim tunc fuiſſe dixerit. Moris enim fuit, præter vrbanum Prætorem, alios Prætores prouincias ſortiri, qui in ipſis prouincijs, quibus præſſent, ius dicerent, atque ingruente bello arma caperent, exercitibusq; imperarent: quorum dignitas maior fuit. Sic apud Dionem libro XLIII. legas de Fabio, & de Quinto in Hiſpania, Cæſaris Prætoribus contra Cn. Pompeij liberos: & apud Appianum Ciuilium IV. de C. Norbano & Cæditio, qui in Macedoniam octo legionibus contra Brutum & Caſſium præfuerāt, deq; alijs apud Cæſarem in Commentarijs, & apud A.Hirtium, paſſimq; apud alios. Ego ſanè amplius in Numiſmatibus veterum obſeruaui, Prætoribus extra vrbem nummos ſignandi curā demādatā eſſe, tum libera ciuitate, tum imperātibus Cæſare Dictatore, & Auguſto, cum iure eorū nomina imprimēdi: hocq; militū ſtipendij maioris commoditatis cauſſa factum reor, ne pecunia, ſtipendij gratia, longinquas ad regiones miſſa, ab hoſte interciperetur: aut, quòd Romæ officina nummaria tantorū exercituum, ac claſſium, tot vrbium, atque populorum, &, vt ita dicam, totius orbis terrarum vſui neceſſario, qui Romano ſigno vtebantur, minime ſupplere potuiſſet, quippe in caſtris, vel in opportunis prouinciarum vrbibus, per Prætores, aut per eorum Quæſtores, vel Legatos, illis abſentibus, vel bello occupatis, pecunia cudebatur, quod in nummis, vt dixi, Auguſti etiam à nobis obſeruatum eſt, vt etiam in ſequenti libro ſuo loco admonebimus. De nummis aūt in prouincijs ſignatis teſtantur etiā illa Ciceronis verba Epiſt. Familiar. lib. XIII. L.Planco: Cum ſignaretur argentum Apolloniæ

loniæ

„ loniæ, non possim dicere, eum præfuisse, neque possum negare „ eum affuisse, sed non plus duobus, aut tribus mensibus. Verum etsi A. Hirtium non memini Prætorem apud scriptores me legisse, huius nummi tamen sufficiet testimonium, ipsum eo quidem anno, quo inter Cæsarem & Pompeium bellum ciuile exarserat, illius Prætorem extitisse, nummumq; ab eo signatum fuisse. Sed procul dubio Prætor is fuit. nam vetus fuit institutum, ne quis prius Consul esset, quàm Prætor, vt ex Dione colligitur. Nempe vero A. iste Hirtius, ille est, cuius pater à Sylla Dictatore olim proscriptus fuerat, vt Dio libro XLV. cuiusq; nomini, belli Alexandrini, Africani, & Hispaniensis à Cæsare confecti, Commentaria edita sunt, vt Tranquillus testatur in Cæsare, cap. XLVI. qui mox Consul bello Mutinensi, sexto dehinc anno, viriliter in Antonianos pugnans, in victoria confossus est, & in campo Martio sepultus, vt Liuius libro LXIX. de quo & Cicero in Epistolis ad Brutum, & in Familiaribus, Appianusq; Ciuilium III. item Suetonius in Augusto cap. X. & Plutarchus in Antonio scriptum reliquerunt. Cæterum de officio, ac iure Prætoris nonnihil scripsere, præter Fenestellam, & Pomponium Lætum, tum alij, tum nuper doctissimus vir Carolus Sigonius in libro, qui de antiquo Iure ciuium Romanorum inscribitur.



VICTO POMPEIO
SEDATOQVE TVMVLTV ALEXANDRINO,
ANNO VRBIS DCCV.
CAESARE COS. II. DICT. ITER.



C. CAESARIS DICT. EFFIGIES QVAE EST IN TABVLAE CAPITVM NVMMO I. ET ANTONII IMAGINIS QVAE EST IN TABVLAE POSTER. PART. IN NVMMO VI.
COMMENTARIVS.






CONSVLIBVS C.Cæſare, & P.Seruilio Iſaurico, vt dixi, poſt Pharſalicam pugnam, cum ipſe Cæſar Dictator factus iterum, vt ſcripſit Dio libro XLII. anno vrbis DCCV. Pompeio in Pharſalia deuicto, à M.Antonio Augure ad tribunatum plebis in vrbem à Cæſare anno ante remiſſo poſt compoſitum Aegypti regnum (is enim è Senatu à præcedentibus Conſulibus

Conſulibus L. Lentulo, & C.Marcello, qui Cæſari ſucceſſorem in Galliam, L.Domitium decreuerant, vna cum Q.Caſſio, vt Liuius, vel C.Curione, vt Appianus, in Tribunatu collega, ignominioſe eiectus fuerat, ac ſeruili habitu meritoria rheda ad Cæſarem effugerat, argentum primo ſignatum eſt cum imagine Cæſaris ex vna parte, & ex occipitio Gutturnio, ſiue Vrceolo, & inſcriptione: CAESAR DICT. ex altera eiuſdem Antonij effigies cum titulo M. ANTON. IMP. et Lituo, quem Auguratus Symbolum eſſe inferius oſtendimus. Dionem auctorem habemus XLIV. libri initio, inter præclariſſimos honores, à Senatu Cæſari varijs temporibus conceſſos, eius imaginem in nummis exculptam fuiſſe. Verum illud vas ex occipitio, eſt, quo in ſacris vtebantur, & Cæſaris maximum ſacerdotium ſignificat, &, de quo ego inferius in Numiſmate XIIX. Plutarchus, & Appianus libro Ciuilium II. tradunt, primo Cæſaris aduentu in vrbem ex Gallijs, ſe Dictatorem feciſſe: ſed poſt vndecim dies Dictaturam depoſuiſſe: quod & innuit Dio libro XLI. & Eutropius libro VI. Liuius ait lib. CXII. poſt ſedatum Alexandrinum tumultum Cæſarem Dictatorem creatum fuiſſe. Oroſius libro VI. cap. XVI. Dictatorem & Conſulem ſcribit. Verum Dio libro XLII. ait, mortuo Pompeio Conſulem in quinquennium factum, ac ſimul Dictatorem, nō ſex menſium ſpatio, ſed abſque temporis præſcriptione, anno vrbis DCCV. Obſeruatione hoc ſane dignum eſt de tempore Dictaturæ, quòd ex Cæſaris nummis deprehenditur, rep. libera, priusquàm euerterentur leges à Cæſare, Dictaturæ magiſtratum vltra ſex menſes non fuiſſe. euerſa tamen rep. ex his nummis, quibus notatum eſt, Cos. III. Dict. III. annuum fuiſſe, comperitur, vt ex noſtris Commentarijs colligitur. ſiquidem vna cum Conſulatu plane videtur Dictatura annum expleuiſſe. quod nil aliud eſt, quàm, veluti per Conſulatus, annos per Dictaturam numerare. quæ tamen conſtitutio, vix radicibus emiſſis, tanquam eas in puluere affixiſſet, mox eius cum auctore concidit, atque Dictaturæ nomen in poſteris ſolo æquatum eſt. Antonium vero, exorto diſcrimine in ciuitate inter optimates, & populares,

Tribunum plebis, & Augurem à Cæsare factum fuisse, docet Plutarchus his verbis: Discordia in ciuitate exorta cum optimates Pompeio adhærerent, populares cum exercitu Cæsarem aduocarunt: C. Curio Antonij amicus ex mutatione Cæsari fauens, potentia, quam dicendo comparauerat, magnis præterea largitionibus, quas Cæsar subministrabat, Tribunum pl. creauit Antonium, post etiam inter Augures cooptauit. Quod & A. Hirtius significat de bello Gallico| Commentariorum libro VIII. vbi inquit. Ipse hybernis peractis, contra consuetudinem in Italiam quam maximis itineribus est profectus, vt municipia & colonias appellaret, quibus M. Antonij Quæstoris sui commendaret sacerdotij petitionem. Contendebat enim gratia, cũ libenter pro homine sibi coniunctissimo, quem paulo ante, præmiserat ad petitionem, tum acriter contra factionẽ, & potentiã paucorũ, qui M. Antonij repulsa Cæsaris recedẽtis conuellere gratiã cupiebãt. Hunc etsi Augurem prius factũ, quàm Italiã attingeret, in itinere audierat: &c. Fertur enim, Tribunitiã potestatem, si præsens esset Dictator, fuisse secundã: sin absens, primam ac ferme solam. Adhæc Cæsarem priusquàm Pompeium victum sequeretur, & in Hispaniam proficisci vellet, data Lepido Prætori vrbis cura, ei Italiam præsidiaq; commisisse Plutarchus docet, ac Magistrum equitum nominasse, licet nondum Prætor fuisset, Dio scribit libro XLII. Verum qua Imperatoris nomine Antonius insignitus sit victoria, incompertum habeo. fortasse Præfectus equitum in Syria sub Gabinio contra Aristobulum hunc titulum meruit: cum parua ipse manu ingentes hostium copias fudisset, obtruncassetq; ferme omnes, atque ipsum Aristobulum vna cum eius filio cepisset. res quidem imperatorio nomine digna. Vel ciuilis belli initio, sub Cæsare contra Pompeianos legatos, auxiliaresq; frequenter prœlijs commissis, quibus in omnibus egregie se gessisse à Plutarcho accepimus. Siquidem libro Ciuilium secundo Appianus quoque de Imperatoris appellatione ita scriptum reliquit: Est enim hæc appellatio Prætoribus non mediocris apud milites auctoritatis, quasi ipsis testantibus eundem imperatorio nomine haud

„ haud indignum fore. Hunc quippe honorem Prætores iampri-
„ dem in maximis belli operibus ſibi vendicauerant. nunc autem,
„ ſub quibus decem millia in bello concidiſſent, hac appellatio-
„ ne dignos haberi audio. Lituum porro ex occipitio imaginis Antonij proprium Auguratus ſignum fuiſſe, ex auctoritate Ciceronis in primo, & ſecundo de Diuinatione, Liuij libro primo, Gellij libri v. cap. VIII. inferius in XIX. Numiſmate oſtendimus.



DE PHAR-

DE PHARNACE REGE

ANNO VRBIS DCCV.

CAESARE COS. II. DICT. II.



IN VICTORIAE CAPITIS, ET TROPHAEI NOTAS IN NVMMO VII.

COMMENTARIVS.







CVM frequentes Cæſaris victoriæ de Gallis, Germanis, & Britannis, Aegyptijs, Ponticis, Libycis, & Hiſpanienſibus partæ, magnam trophæorum occaſionem illi dediſſent, de nulla tamen, præterquam de Pharnace, Mithridatis Magni filio, trophæum erexiſſe apud ſcriptores inuenio. Ac de Ponto Cæſar quatuor, quibus in conſpectum venerat, horis, Suetonio teſte, victoria potitus eſt. nam fulminis (vt verbis Flori vtar) more, quod vno, eodemq; momento venit, percuſſit, abſceſſit, vna profligauit acie;

acie; cum ipſe rex, Cæſaris magnitudine nominis exterritus, verſus eſſet in fugam. ideo Cæſarem his tribus tantum verbis, Veni, vidi, vici, victoriam ad amicos ſignificaſſe, Plutarchus, Appianus, & Dio tradunt, earundemq; in triumpho inter pompæ geſtamina poſtea prætuliſſe titulum, Suetonius auctor eſt : quæ quidem tria verba multos ante annos à Thuſco quodam Romano dicta fuiſſe, memorat Seneca Suaſoriarum libro primo. ſic enim bello tam feliciter confecto, Cæſarem Pharnacis ſpolia retuliſſe cecinit Virgilius libro Aeneidos primo, vt interpretatur Seruius in illis:

Hunc tu olim cœlo ſpolijs Orientis honuſtum
Accipies ſecura. vocabitur hic quoque votis.

Apud Dionem libro XLII. legitur, Cæſarem Dictatorem iterum, victo Pharnace, ingens trophæum ſtatuiſſe, cuius monumentum in argenteo nummo traditum eſt, in quo duos vides captiuos barbaros, maſculum alterum, alterum fœminam, in trunco ſagum, vtrinque ab latere clypeos, ſecures, aliaq; arma, & in vertice galeam, vel petaſum, impoſitam. clypeos æneos, ſecures, & galeas in trophæis fuiſſe, illud Muſarum decus Maro ita ſignificauit libro Aeneidos VII.

Multaq; præterea ſacris in poſtibus arma,
Captiui pendent currus, curuæq; ſecures,
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaq;, clypeiq;, ereptaq; roſtra carinis.

Et in XI. eiuſdem:

Ingentem quercum deciſis vndique ramis
Conſtituit tumulo: fulgentiaq; induit arma,
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæum
Bellipotens: aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaq; trunca viri, & bis ſex thoraca petitum,
Perfoſſumq; locis: clypeumq; ex ære ſiniſtræ
Subligat: atque enſem collo ſuſpendit eburnum.

Sagum vero militare ac bellicum amictum fuiſſe, ex Nonio, & Liuio belli Punici libro XXXVII. ex Cicerone Philip. lib. VIII. & XIIII.

& xiiii. Verrinarũ vii. & epiſt. ad Trebatium, ex Cæſaris Commentariorum. lib. v. Plutarcho in Tiberio Gracco, & Suetonio in Auguſto cap. xxvi. cognouimus. Neque tantum Romanum hoc fuiſſe indumẽtum, verum etiam Hiſpanorum, apud Liuium, & Strabonem in tertio legas; Gallicum apud Ciceronem pro Fonteio, & Germanicum apud Tacitum de Moribus Germanorum libello, de quo & Tranquillus in Cæſare cap. lii. Quare cum gregale fuiſſet ſagum, & commune barbaris, non abſurde dicere poſſumus etiam Aſianum fuiſſe veſtimentum. Hiſpanienſe hoc haud eſſe trophæum, ex Dionis hiſtoria certi ſumus, ſiquidem ille ſcribit libro xli. Cæſarem Pyrænæi iugis, cum de Petreio & Afranio ex Hiſpania in Italiam victor rediret, minime trophæum ſtatuere voluiſſe, verentem calumniam: nam pro ſimili facto Pompeium olim non laudatum fuiſſe nouerat. De Gallis, Germanis, Alexandrinis, Africis poſſem ſuſpicari, ſi cuius ſcriptoris teſtimonio probare poſſem. quippe Dionis auctoritas ſuffragatur meæ ſententiæ, hanc trophæi notam ad illud de Pharnace erectum ſpectare, itaque Victoriæ effigiem in altera nummi parte expreſſam.



IN PROVINCIAE PONTI CAPITIS, ET TROPHAEI NOTAS

IN NVMMO VIII.

COMMENTARIVS.







EST etiam nunc Venetijs apud Antonium Caluum, Senatorij ordinis, alter argẽteus nummus in auerſo trophæo, ſecuri, & his litteris inſcriptus: CAESAR. in priori latere mulieris decoræ faciem continens, quæ, fortaſſe, Ponti prouinciæ imaginem diademate redimitam, & ex acantho coronatam, declarat, qua arbore Pontici triumphi in Pharnacem apparatum fuiſſe, huius in libri fine, vbi de Cæſaris triumphis agitur, oſtendi. De ſecure autem verba feci inferius in numiſmate XIIX. de diademate vero in nummis Antoniæ Claudij matris, in meo de Auguſtarum mulierum vitis libro, pertractaui.



DE IVBA REGE

ANNO VRBIS DCCVII.

CAESARE COS. III. DICT. III.



VICTORIAE CAPITIS, ET VRNAE, SIVE GVTTI VASIS IN NVMMO XV.

COMMENTARIVS.







ANNO ab vrbe condita DCCVII. Cæsare tertium Dictatore, totidemq; Consule (anno quidem ante, qui fuit vrbis conditæ DCCVI. non Cæsar Consul fuerat, sed Q. Fusius, Calenus, & P. Vatinius, vt in Capitolino marmore, teste etiam Sigonio, & Cuspiniani Commentarijs in Cassiodoro) post victum Pharnacem, Ponti regem, moxq; Iubam Mauritaniæ, cete-risque Romanis ducibus, qui cum Iuba erant, Romam reuerso, cogentibus Pompeij filijs in Hispanias proficisci, à L. Munatio

tio Planco, vrbis tunc Præfecto, nummus aureus eſt percuſſus, in cuius altera parte Victoriæ caput conſpicitur cum litteris: C. CAES. DIC. TER. in altera, Vrna, ſiue Guttus, cum hac circumſcriptione: L. PLANC. PRAEF. VRB. De hac Cæſaris Dictatura, & Conſulatu, ita meminit Dio libro XLIII. Sequenti vero anno ipſe Dictator fuit, & Conſul, vtrunque tertium, collegam habens Lepidum. Qui etiam paulo poſt tradit, in decem continuos annos hoc anno Dictatorem fuiſſe creatum, eumq; ducturum in Hiſpanias exercitũ, Lepido collegæ vrbem, cum octo Præfectis, commiſiſſe: quorum ex numero & Plancum fuiſſe, coniectari poteſt. Nam & A.Hirtius in Commentarijs de Bello Hiſpanienſi, hoc eſt libro VI. ſcribit Cæſarem victo Pharnace, & capta ſubinde Africa, tertium Dictatorem, ac deſignatum quartum, in Hiſpanias bellum intuliſſe. Eutropius libro VI. auctor eſt, Cæſarem, victo Pharnace, Romam reuerſum, tertiũ ſe Conſulem feciſſe, inde in Africam profectum eſſe contra Iubam, poſtq; annum in vrbem regreſſum, quartum ſe nominaſſe Conſulem, ac ſtatim in Hiſpanias profectum eſſe. Verum Dionis, Hirtij, & Eutropij, huiusq; numiſmatis auctoritate nixus, Cæſarem & Dictatorem tertium vno eodemq; tempore, & Conſulem fuiſse, ac tunc nouiſſimæ victoriæ illius typum exculptum fuiſse in aureo nummo à Præfecto vrbis Planco, exploratum habeo. Cupis quis iſte Plancus fuerit ſcire? dicam. hic ille eſt Ciceronis olim diſcipulus, orator inſignis, cuius epiſtolæ admodum luculenter ſcriptæ in X. Familiarium libro leguntur: contra quem Aſinius Pollio, cum Orationes ſcriberet, ac dixiſſet nolle eas niſi poſt mortem ſuam edi, ne reſpondere poſſet, reſpondiſſe eum Plinius in Procemio tradit: Cum mortuis niſi laruas luctari. Hic à Dione libro XL. prænominatur Titus, & à Plinio libro XXXV. Imperator appellatur. Sub Cæſare in Belgio, mox in Carnutes legionis vnius Legatus fuerat, vt in Commentarijs de Bello Gallico libro V. & Ciuilium primo, ac quinto. Eundem mox Galliæ Comatæ Prætorem Lugdunum condidiſſe, Euſeb. tradit. Eundem etiã Baſileam Rauricorum, Germanię

vrbem coloniam deduxiſſe, ex veteri inſcriptione Caietæ,Latij oppido,in turri, quæ vulgo Orlandi dicitur, patet: ex qua etiam Lugdunum non condidiſſe, vt plerique arbitrantur, ſed coloniam potius feciſſe, perſpicuum fit.

L. MVNATIVS. L·F. L. N. L. PRON. PLANCVS COS.
CENS. IMP. ITER. VII. VIR EPVL. TRIVMPH. EX
RHETIS AEDEM SATVRNI F. DE MANVBIIS
AGROS DIVISIT IN ITALIA BENEVENTI IN
GALLIA COLONIAS DEDVXIT LVGDVNVM
ET RAVRICAM.

Quo tempore Ciceronis epiſtolæ ad eum ſcriptę extant inter epiſtolas ad Atticum. Occiſo poſtea à coniuratis Cæſare, Conſul deſignatus cum Decimo Bruto tunc erat, quo tempore ad eum Imperatorem Cos. deſignatum Ciceronis leguntur epiſtolæ, & eius ad Ciceronem libro Familiarium x. Sed diſiecta mox partium reip. factione, cum tribus legionibus ad Antonium tranſijt, vt Appianus ſcribit libro Ciuilium III. & à Pontio Aquila deuictus eſt, Dione teſte libro XL. Statim, compoſito Triumuiratu R. P. C. anno ab vrbe DCCXI. in locum D.Bruti Conſul creatus eſt cum M.Aemilio Lepido, à quo, vt frater ſuus Plancus proſcriberetur, impetrauit. eoq; inter iocos militares, qui currum Lepidi Planciq; ſecuti ſunt, in triumpho, inter execrationem ciuium vſurpatum hunc fuiſſe verſum, à Velleio traditum eſt.

De Germanis, non de Gallis, duo triumphant Conſules.

De illius Conſulatu meminere etiam Plinius, Eutropius, Caſſiodorus, & Iulius Obſequens. In obſidione Peruſiæ ſpem magis oſtendiſſe auxilij Antonianis, quàm opem tuliſſe, atque ciuitatem captam,Fuluiæ Antonij vxoris fugę comitem fuiſſe ex Italia, idem Paterculus ſcribit. Ille, inquam, eſt, qui ſponſionis inter Antonium & Cleopatram, Aegypti reginam, iudex factus eſt, cum Cleopatra ſe iactaſſet ſexcenties H-S in cœna ſolam conſumpturam, cum in ea cœna duo vniones, vnicum naturæ opus, parata eſſet in aceto reſoluere. quorum alterum cum abſorpſiſſet,iniecta ipſe manu, eam victricem pronuncians, auctor extitit, ne abſume-

abſumeretur alter. poſtea à victore Cæſare diſſectus, vtriſq; Veneris auribus Romæ in Pantheo appenſus fuerat, de quo Plinius libro IX. cap. XV. Hunc præterea ante pugnam naualem inter Antonium & Octauianum, deſerto Antonio, tranſiſſe ad partes Cæſaris, Velleius teſtatur, qui eius mores ita breuiter conſcripſit. Plancus non iudicio recta legendi, neque amore Reipublicę, aut Cæſaris, (quippe hæc ſemper impugnabat) ſed morbo proditor, cum humillimus aſſentator reginæ, & infra ſeruos cliens, cum Antonij librarius, cum obſceniſſimarum rerum & auctor & miniſter, cum in omnia & in omnibus venalis, cum ceruleatus, & nudus, caputq; redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus Glaucum ſaltaſſet in conuiuio, refrigeratus ab Antonio ob manifeſtiſſimarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæſarem. et idem poſtea clementiam victoris pro ſua virtute interpretabatur, dictitans id probatum à Cæſare, cui ille ignouerat. De huius fuga, & Dio meminit libro L. Huius ſententia fertur Octauianus Cæſar Auguſti nomen obtinuiſſe. Eius filium cum C. Silio Conſulem fuiſſe, apud Tacitum lego libro I. & in hoc Conſulatu, iam mortuo Auguſto, legationis princeps cum eſſet Tiberij ad exercitum Germanicum, maximum in militari tumultu cædis periculum effugiſſe, compertum eſt. De officio autem & iurisdictione Præfecti, titulus eſt apud Iuriſcons. Vlpianus, omnia inquit, crimina Præfectura vrbis ſibi vendicat: nec tantum quæ intra vrbem admittuntur, verum ea quoque, quæ extra vrbem in Italia fiunt. Dionyſius enim ſcribit, Romulum vnum vrbanis negotijs præfeciſſe. Siquidem, procedente tempore, tantum is magiſtratus iuris ſibi vendicauit, vt omnia in vrbe crimina cognoſceret, ſummumq; in ciuitate abſentibus Cæſaribus imperiũ haberet. Alexander Genialium dierum libro VI. cap. XX. Solitos, inquit, Romanos fuiſſe, quum reges, & poſtea Conſules Prætoresq; reipublicæ cauſa abeſſent, ne quis repens tumultus fieret, neue vrbs ſine imperio eſſet, aut hoſtium incurſibus pateret, Præfectum creare, qui vrbi mœnibusq; præſideret, ius redderet, & ſubitis mederetur. Cæterum de iure Præfecti, ſi quis

planius

planius ſcire optat, ipſum legat Alexandrum in dicto capite. Verum vas iſtud quid ſimile habet Præfecto? Notum enim eſt, moris fuiſſe apud Romanos, cauſas non audiri niſi per ſortem ordinatas. nam tempore, quo cauſæ agebantur, conueniebant omnes, vt inquit Seruius, & ex ſorte dierum ordinem accipiebant, quo poſt diem trigeſimum ſuas cauſas exequerentur, ac etiam iudicum nomina ex vrnis ſortito educebantur. quò Virgilius alludens in vi. Aeneidos, dixit:

Hos iuxta falſo damnati crimine mortis,
Nec vero hæ ſine ſorte datæ, ſine iudice ſedes.
Quæſitor Minos vrnam mouet.

Et alibi idem:

. . . . ſtat ductis ſortibus vrna.

Claudianus quoque de Raptu Proſerpinæ ita dixit:

Vrna nec incertas verſat Minoia ſortes.

In vrnam enim antiqui tabellas iudiciarias (diximus Præfectum & ius dicere) vel nomina conijciebant, cum iudices ſortiebantur, vnde Cicero ad Q. Fratrem libri ii. epiſtola vi. ait: Senatorum vrna copioſe abſoluit, Equitum adæquauit, Tribuni Aerarij condemnarunt. Et in iiii. Verrin. Educit ex vrna tres ijs vt abſentem: Heraclium condemnent, imperat. Idem ii. de Diuinatione: Quod mirum quam illam monſtruoſiſſimam beſtiam vrnam euertiſſe, ſortes diſſipauiſſe? Plinius Iunior epiſtola ccxx. Vt eſſemus, inquit, in Senatus poteſtate, peteremurq; nomina noſtra in vrnã conijci. verũ negabit fortaſſe quidam, hanc vrnam iudiciariam eſſe: Quid igitur erit? Vrceolus, an Guttus, vas ſacrum? De hoc ſatis inferius in Numiſmate iii. & xiii. verba feci. Vtrum enim ad ſacrificia, quæ de more poſt Cæſaris victoriam in vrbe facta fuerant, an ad iudicium priuatum, non publicum, pertineat, ſiquidem Præfectum ius dixiſſe, non quæſiſſe, accepimus, iudicio aliorum relinquendum decreui. Nonnulla enim ſunt in nummis interpretanda, quæ per coniecturas ſignificari ſanè poſſunt, verum certa ratione neque nos, neque Oedipum vnquam explicare poſſe, credendum eſt.

VICTO-

VICTORIAE CAPITIS, ET ROMAE GRADIENTIS TROPHAEO ONVSTAE IN NVMMO XVI.

COMMENTARIVS.









VICTOREM Pontici, & Africani belli C. Cæſarem, tertium iam Conſulem cum M. Aemilio Lepido, itemq; tertium Dictatorem, C. Clouius, alter eius Præfectus, hoc ærei nummi monumento decorare voluit. Caput enim illud Victoriæ cum ſcripto, CAESAR DICT. TER. tum ipſum à tergo nummi Romæ Gradientis ſimulacrum, ſiniſtra ſcutum geſtantis, læua trophæum, tum etiam draco eius lateri additus, capite ſurrecto repens, magniſq; voluminibus terga trahens, cum litteris: C. CLOVI. PRAEF. inſignem illam de Ponto victoriam ſignificant. ſiquidem Cæſarem de Pharnace retuliſſe ſpolia, Seruius in illo Virgilij Aeneidos primo oſtendit.

Hunc tu olim cælo, ſpolijs orientis onuſtum,
Accipies ſecura.

Vel illam de Iuba partam in Libya ea ſigna oſtendunt: quippe Clouius


Clouius effingere voluit Romam victricem hoſtis ſpolia geſtantem, tanquam illa, modeſtiæ cauſa, non Cæſaris, ſed Reipublicæ honorem eſſe indicare vellet, cum pro patriæ libertate ſemper ſe pugnaſſe Cæſarem profeſſum ſciret. Serpente autem veteres Aſiam declaraſſe, ex Auguſti nummis, in quibus duo ſunt annexi ſerpentes, (licet quidam nouiſſime in ſuo, vbi exponuntur nonnulla veterum numiſmata, libello, alijs multis cum erroribus edito, tribus falſo ſerpẽtibus hoc numiſma deſcribẽs allucinatus ſit, eos per Europam, Africam, & Aſiam ſignificans, cũ & alter vir doctiſſimus, ante illum idem ſcribẽs, lapſus ſit,) & M. Antonij ex argento, compertum eſt: eo quòd, propter aromata, quæ ibi naſcuntur, pars ea ſerpentum maxime eſt ferax. Nam Plinius libro VI. cap. XIV. & Solinus cap. XLVIII. narrant, (vt de ſerpentum Aethiopiæ immenſa magnitudine prætercam) circa Caſpias portas tantã huius veneni eſſe vim, vt nõ niſi hieme tranſitus detur. Atque Elymaidem grauiter infeſtari, & Candeorum nullam fertiliorem ſerpentum regionem eſſe, Plinius tradit libro VI cap. XXVII. & XXIX. Quo ſymbolo & Cæſar eam partem ab eo deuictam ſic videtur deſcribere voluiſſe, & nummum ſequenti anno ſignatum fuiſſe, ipſa monet inſcriptio. Verum enimuero vel ad Africanam victoriam de Iuba rege, de Scipione, deq; alijs ciuibus Romanis, referri poſſe cenſeo. ſiquidem & Africæ ſerpentem hieroglyphicum fuiſſe, tum Hadriani complurima, & Antonini Pij, tum Septimij Seueri Imppp. Numiſmata teſtantur: cum tanta gignat diuerſa ſerpentum, atque draconum genera, vt eo infelix appellari poſſit. Hoc idem tradit Ariſtoteles de Animalibus lib. VIII. cap. XXIX. Solinus vero Polyhiſtor. cap. XXIX ſcitu digna ſcribit: cuius verba, non minus vtilitatis gratia, quam iucunditatis, ſubijcere decreui. Africa, inquit, ſerpentibus adeo fœcunda eſt, vt mali huius merito illi potiſſimum palma detur. » Ceraſtæ præferunt quadrigemina cornicula, » quorum oſtentatione veluti eſca illice ſolicitatas aues perimunt. » Nam reliquum corporis de induſtria arenis tegunt, nec » vllum indicium ſui præbent, niſi ea parte, qua inuitatis dolo paſtibus

ſtibus, necem perpetuam aucupentur. Amphisbæna conſurgit in caput geminum, quorum alterum in loco ſuo eſt, alterum in ea parte, qua cauda. Quæ cauſa efficit, vt capite vterque ſexus nitibundo ſerpat tractibus orbiculatis. Iaculi arbores ſubeunt, è quibus vi maxima turbinati, penetrant animal quodcunq; obuiam fortuna fecerit. Scythale tanta præfulget tergi varietate, vt notarum gratia videntes retardet, & quoniam reptando pigrior eſt, quos aſſequi nequit, miraculo ſui capiat ſtupenteis. In hoc tamen ſquamarum nitore, hyemales exuuias prima ponit. Plures, diuerſæq; Aſpidum ſpecies, verum diſparis effectus ad nocendum. Dipſas ſiti interficit. Hypnale ſommo necat, teſte etiam Cleopatra, emitur ad mortem. Aliarum virus quoniam medelas admittit, minus famæ meretur. Hæmorrhois morſu ſanguinem elicit, & diſſolutis venarum commercijs, quicquid animæ eſt, euocat per cruorem. Preſter quem percuſſerit, diſtenditur, enormiq; corpulentia negatur extuberatus. Ictus ſæpium ſtatim putredo ſequitur. Sunt & Hammoditæ, eſt & Cenchris, Elephantiæ, Cherſydri, Chamæ, Dracones, poſtremo quantus nominum, tantus mortium numerus &c. Hoc quidem memoria, atque hoc in loco notatu digniſſimum exiſtimo: ab Cæſaris aduentu ex Gallijs Romam, vſque ad victum Iubam, paulo amplius trium annorum ſpatio, centum ac ſeptuaginta millia Romanorum ciuium in bello ciuili cecidiſſe, vt ex Plutarcho in vita Cæſaris colligimus. De Præfectorum autem officio, ac iure in præcedenti Nummo diſſeruimus. Verum, quis hic fuerit C.Clouius, Cæſaris Præfectus, apud ſcriptores, quod equidem ſciam, nulla eſt mentio, niſi apud Ciceronem, in cuius Epiſtolis Familiaribus, epiſtola I. ad C.Cluuium extat ſcripta. Clouiorum enim familiam apud Romanos fuiſſe idem oſtendit epiſtola II. libri Epiſtolarum ad Atticum VI. qui de alio, cuius prænomen eſt Marcus, meminit; licet in omnibus quos vidi in exemplaribus impreſſis, deprauate, vt opinor, pro Clouio, legatur Cluuio, isq; de quadam Clouia ſimiliter meminit ibidem libri XIIII. epiſtola VII. Eſt itaque Puteolis, Latij oppido,

C. Cluuij, M. filij epigramma, Petro Appiano in ſuo veterum Inſcriptionum Europæ libro teſtante, ex quo (ſi fidelis eſt) agnoſcitur & Cluuiam, ſicut Clouiam, eam familiam recte poſſe appellari.

C. CLVVIVS. M. F. III. VIR. AVDI. II. VIR. NOLAE IIII. VIR. QVINQVENNAL. DE SVO. FACIVNDO COERAVIT. IDEM RESTITVIT. IOVI. O. M. SACR.

Sed hoc præterire nolo, nonnullos huius Nummi inſcriptionem ita legiſſe: C. CLO. VI. PRAEF. M. quæ cum nihil ſignificare mihi videatur, indignam doctrina interpretis eſſe exiſtimo, nam horum nummorum, non tantum penes me, verum etiam alios apud multos complures ſunt, qui temporis indulgentia integerrimi ad nos peruenerunt, ac, vti ego deſcripſi, ita ſignati inueniuntur.



IN CAESARIS IMAGINEM
IN TABVLAE CAPITVM
NVMMO
ET
TAVRI SIGILLVM
IN TABVLAE POSTER. PART.
NVMMO XVII.
COMMENTARIVS.







MVLTA de Tauri ſignificatu haberem dicere, niſi copioſe atque luculenter à Pierio Valeriano iam eſſent tractata. Sed quia noſtrum in hoc opere fuit inſtitutum, nihil temere, nihil ex noſtra vna tantum ſententia tradere, Tauri huius formam interpretandi negotium ijs relinquo, qui abſq; vlla monumentorum comprobatione, obſcuriſſima quæque vetuſtatis myſteria feliciter ſe explicaturos profitentur

L.autem hic Liuineius Regulus, fuit, qui poſt victoriam de Iuba rege, legionis Præfectus à Cæſare cuſtodiæ Adrumeti Africæ oppidi relictus fuerat. de quo meminit A.Hirtius de Bello Africo lib, v. vbi in omnibus exemplaribus, præterquã Aldino, mendoſe Luneo Regulo, pro Liuineio Regulo legitur. Legitur & de altero cognominato Regulo L.Caninio, Legato Cæſaris in Gallia, apud eundem Cæſarem Commentariorum de Bello Gallico


 lib. VII.

lib. VII. De Liuineio Regulo ita meminit Cicero Familiarium XIII. ad Munatium: L. Liuineius Trypho est omnino L. Reguli, mei familiarissimi, libertus. ex quibus verbis non constat, à Liuineio liberto, sed à Liuineio eius patrono, cuius cognomen erat Regulus, nummum excusum fuisse. eundemq; nominatum video libro III. Epist. ad Atticum.

IN ELEPHANTIS, ET RELIGIONIS SIGNOR. NOTAS IN NVMMO XIIX. COMMENTARIVS.










QVID hoc in nummo vetustas significare voluerit, ab vno latere elephantis notam habente cum subscriptione: CAESAR. ab altero ea, quæ signa insculpta visuntur, inter nostrę ætatis eruditos maxima controuersia est. Sunt enim, qui dicunt, elephantis scalpturam Diui Iuli apotheosim esse, faciéq; illam bellueę subiectam anguem Heroibus sacrum. Alij instrumenta in altera parte efficta esse, quibus à Romanis elephãti perimebãtur, ostentant. Insuper elephantem nomẽ Cæsaris significare alij opinãtur, Seruij & Spartiani auctoritate commoti, quorum alter in primo Aeneidos,

Aeneidos,alter in Aelio Vero ſcribit elephantem Maurorum lingua Cæſarem dici, à quo cognomentum Iulijs inditum volunt, quia auus C. Iuli Cæſaris belluam hanc in Africa manu ſua interemerat; non, vt quidam temere ſcripſere, à cæſo matris ventre: quoniam Aureliam eius matrem eo amiſit tempore, quo ipſe cũ Gallis bellum gerebat, auctore Suetonio cap. XXVI. & plerique è Iuliorum familia Cæſares ſunt nuncupati ante C.Iulium Cæſarem, cum, qui natus eſt à cæſo matris vtero, non Iulius, ſed Scipio fuerit maior Africanus, qui primus Cæſar eſt appellatus, teſte Plinio libro VII. cap. IX. De monſtruoſi partus exciſi vtero, ita ſcribente: Auſpicatius enecta parente gignuntur: ſicut Scipio Africanus prior natus, primusq; Cæſarum à cæſo matris vtero dictus: qua de cauſa & Cæſones appellati: &c. Solino etiam Poly hiſtore cap. III. innuente. Hermolaus vero Barbarus exiſtimat in ſuis caſtigationibus, Plinium hiſtoriæ contradicere, ideoq; negat Scipionem recte poſſe dici, primum Cæſaris cognomentum habuiſſe, propterea quòd, vt ille dicit, ante bellum Samniticum Claudius quidam Cæſar appellabatur, hocq; in tabula quadam antiquiſſima ait ſua ætate oſtendi Romæ ambuſta, cum his litteris: CAESAR CLAVDIVS C. F. AP. N. CAECVS. C. PLAVTIVS C. F. C. N. QVI IN HOC DXXV. HONORE VENOX APPELLATVS EST. Bartholomæus etiam Fontius, Perſij interpres, Satyra I. huius inſcriptionis auctoritate ductus, dum Hermolai opinionem tueri conatur, alios viros eruditiſſimos, qui aliter ſentiunt, inſectatur. Quippe ego,vt veritas hiſtoriæ lucidior appareat legentibus, & ne quis forte incidens in eius interpretationem falſi epigrammatis teſtimonio deceptus, vel in Hermolai caſtigatione, labatur, eiuſdem etiam verba addere decreui. Dicit ergo: Sed quod cum bona omnium eruditorum venia dictum ſit, ſoli perperam Pliniana verba accepit. quod vt liquidius appareat, (multo enim plus intelligitur, vt inquit Hiero. quod oculis videtur, quàm quod aure percipitur) verba Plinij cum noſtra interpretatione ſubiciemus: quæ ſunt hæc: Auſpicatius enecta parente gignuntur, ſicut Scipio Africanus prior natus (.ſ. eſt enecta parente,qui

fortunam

fortunam felicem expertus eſt:) primusq; Cæſar à cæſo matris vtero dictus: non dicit Scipionem nominatum eſſe Cæſarem à cę ſo matris vtero: ſed illum, qui primus dictus eſt Cæſar, hoc cognomento decoratum fuiſſe ob vterum matris cæſum. hæc enim verba ad ſuperiora non referuntur: & hic eſt verus ſenſus, vera Plinij interpretatio, quam omnes probant, extollunt, & miris laudibus proſequuntur, præter illos, qui ſtimulante inuidia, quod conſequi non valent, deſpiciunt. hæc ille. Quam ſane vera ſit hæc Fontij interpretatio, quibusq; laudibus extollenda ſit, profecto non opus eſt vt verbis oſtendã, cũ ex titulo capitis, apud Plin. quod eſt, De mõſtruoſi partus exciſi vtero, nõ de Fortuna, & ex illa antiqua inſcriptione, quiſquis dignoſcere poterit, præſertim cũ parentheſis illa nõ Plinij ſit, ſed ab ipſo Fontio inſerta. Cæſar enim cognomẽ ijs, qui ſic appellati fuerũt, vt Sex. Iulius Cæſar, L. Iul. Cæſ. C. Iulius Cæſar, & cæteri, non prænomen, vt in dicta inſcriptione, neminem ignorare credo, in qua cum CAESAR præcedat CLAVDIO, extare videtur pro prænomine, quod profecto veterum mori eſſe contrarium, omnes, qui in Latinis litteris vel mediocriter ſint verſati, ſcire certe arbitror. Præterea in antiquo marmore ab eis citato non extat CAESAR, ſed CENS. ex quo conijci poteſt, Hermolaum, atque aſtipulatorem eius Fontium tabulas ipſas antiquas male legiſſe, ita vt etiam in corruptiſſimo Epigrammatum antiquæ vrbis exemplari, edito Romæ Leone X. Pontifice Max. legitur. Quare illud inſcriptionis teſtimonium, quod eis quaſi fundamentũ fuit, cum falſum ſit, tota eorum fabrica funditus videtur euerti. Nam apud accuratiſſimos viros, Carolum Sigonium, & Onuphrium Panuinium, antiquarum rerum diligentiſſimos obſeruatores, ex M. Verrij Flacci antiquarum Tabularum triumphalium Conſulariumq; fragmentis, quæ hodie Romæ in Capitolio ſunt, ſic legitur: CENS. AP. CLAVDIVS. C. F. AP. N. CAECVS. C. PLAVTIVS. C. F. C. N. QVI IN HOC L. F. XXVI. HONORE VENOX APPELL. EST. inſcriptio autem ſupraſcripti libri deprauata, ita eſt: CAESAR. CLAVDIVS. C. F. AP. N. CAECVS. C. PLAVTIVS. C. F. C. N. QVI IN HOC DXXVI. HONORE

VENOX

VENOX APPELLATVS EST. Quantum ergo ad Elephantis notæ explicationem, necnon ad Cæſaris clementiam, ad munificentiam, ad religionem, ad gloriæ ſtudium, ad eiusq́; iuſtum ac moderatũ imperium referri poſſe cẽſeo: ſiquidem Elephas has omnes virtutes, & ſignificationes obtinere creditus eſt, Adhæc Elephantis de clementia & manſuetudine complurima ſcitu extant digniſſima apud Plinium lib. VIII. cap. IIII. & VII. apudq́; Plutarchum, & in II. Valeriani Hieroglyphicorum libro, de qua & ante eos meminit Ariſtoteles libri I. cap. I. & libri IX. cap. XLVII. Cæſaris autem clementiam complurimi celebrauere clariſſimi ſcriptores, præſertim Velleius poſter. volumine, Plinius libri VII. cap. XXV. & Suetonius cap. LXXV. Solinus in Polyhiſtore cap. V. eamq́; laudat Salluſtius in Oratione prima ad ipſum Cæſarem de Republica ordinanda, quorum verba gratia breuitatis omiſimus. Verum clementis appellatione ſummopere gloriatum eſſe, ipſemet Cæſar oſtendit in epiſtola ad Ciceronem, qui ei laudanti clementiam eius, ita reſpondit: Recte auguraris de me (bene enim tibi cognitus ſum) nihil à me abeſſe longius crudelitate. Atque ego cum ex ipſa re magnam capio voluptatem, tum meum factum probari abs te triumpho, & gaudeo. &c. Et in Commentarijs de Bello Gallico ad finem libri ſecundi ſuã clementiam deſcribens inſigni exemplo gloriatur. Ad munificentiam quoque quam ipſe exhibuit, hanc etiam elephantis imaginem ſpectare, Antonini Pij, & Septimij Seueri indicant æerei nummi, in quibus exculptus eſt Elephas cum inſcriptione: MVNIFICENTIA AVG. Quin Cæſarem in ſpectaculis & Elephantorum, & variorum ludorum generibus munificentiſſimum ſe exhibuiſſe, Paterculus poſter. volumine, Plinius libri VIII. cap. VII. Suet. cap. X. & XXXIX. Appianus lib. II. & Plutarchus memoriæ prodiderunt. Porro apud Salluſtium in Oratione ad Cæſarem ſecunda de Republica ordinanda ſic ſcriptum eſt. Sed præter cæteros mortales illa clarior eſt, quòd & prius defeſſi ſunt homines laudando, atque admirando munificentiam tuam, quam tu faciundo, quæ gloria digna eſſent. Cui aſtipulatur Appianus libro

II. Quan-

11. Quantum enim ad Pietatem Religionemue pertinet Elephantis, non deſunt, qui dicant, niteſcente luna ipſum ſponte viuo amne ſolenniter purificari, aquaq; circumſpergi, ſalutatoq; ſidere in ſiluas reuerti, ac vbi morbo laboret, in herbis volutari, ſupinumq; in cœlum eas iaciendo deorum auxilium implorare, precesq; eis offerre, mariaq; tranſiturum iuſiurandum dare rectori de reditu. Hæc Plinius libri VIII. cap. I. Hæ res profecto omnes analogice referri poſſunt ad Cæſarem, qui & ſacerdos Iouis fuit & Maximus Pontifex, vt Velleius poſter. volumine, Tranquillus cap. XIII. Plutarchus, & alij teſtantur. Quod vero ad Elephantis attinet gloriæ cupiditatem, ipſe tam valde honores ambit, vt ignominia notatus mortem vitæ præferat, quam nonnunquam, alia ſibi conſciſcendæ mortis occaſione negata, inedia finiſſe apud Plinium oſtenditur, cuius in capite I. lib. VIII. ſic ſcriptum eſt de Elephanto: Amoris & gloriæ voluptas: immo vero, quæ etiam in homine rara, probitas, prudentia, æquitas: &c. Peruulgatum autem eſt, amore gloriæ ita flagraſſe Cæſarem, vt cum in Hiſpania magni Alexandri imaginem animaduerteret, vt Suet. cap. VII. ſiue eius res pictas perlegeret, vt Plutarchus, haud ſe contineri potuerit, quin illacrymaret, pertæſus ignauiam ſuã, quòd nihil dum à ſe memorabile actum eſſet in ætate XXXIII. annorum, qua iam Alexander orbem terrarum ſuo ſubieciſſet imperio. Olim etiam prope Cordubam, vltimo prœlio aduerſus Magni Pompeij filios, diſperatis rebus, idem dixiſſe fertur, plerunque pro victoria, tunc pro vita primum decertaſſe. Plutarchus etiã tradit Cæſarem honoris percupidum fuiſſe, maiorumq; in eo cogitationes operum, & nouæ cupidinem gloriæ pullulaſſe, iccirco de bello Parthis inferendo cogitaſſe. At facies illa animalis ſub Elephantis pede conſurgens in alijs nummis eſt draconis ſimilitudo. hanc interpretati ſunt quidam, Africæ ſubiugationem, cum de Iuba Numidiæ rege triumpharet Cæſar, eiusq; filium Iubã duxiſſet in triumpho, Plutarcho auctore. nã ea prouincia elephantorum, atque ſerpentum maxime eſt ferax, vt in numiſmate IX. ſupra retulimus. In alijs porro effigiem leonis refert,

fert, vt penes me habetur: in alijs Capellæ, vt apud generoſum virum, Andream Lauredanum, patricium Venetum. Ijs triformis Chimeræ treis repręſentare formas nonnulli credunt, easq; ſpectare ad treis rhetoricæ partes, quibus vtuntur oratores, pro foro, ante tribunal, & pro caſtris, videlicet leonis iudiciale, capræ demonſtratiuum, & draconis deliberatiuum genus præferre. Et hæc conueniunt Cæſari, eo quòd ipſe inter primarios oratores Romanos à Cicerone in libro, qui inſcribitur Brutus, à Cornelio Nepote, à Paterculo, & à Tranquillo, & Plutarcho annumeratur, mirificeq; verborum elegantia, ſplendore, magnificentia, ac generoſa quodammodo dicendi ratione miro præconio extollitur. Ideo typum hunc, vt non ſolum cognomentum Cæſaris indicaretur, effinxere, verum etiam, vt eo clementiam, munificentiam, religionem, atque gloriæ ſtudium, vel iuſtum ac temperatum regimen, oratoriamq; in eo laudem emicuiſſe oſtenderetur. Verum enimuero Elephas licet ſit aptiſſimum animal ad oſtendendas hieroglyphice Cæſaris virtutes, ideoq; recte ad enarratas cauſas aſcribetur, ad Africam potius à Cæſare poſt victoriam contra L.Scipionem & Iubam Mauritaniæ regem ſubactam, atque Populo Romano ſub tributo collatam, iure ſpectare arbitror: nam eo in prœlio Cæſari nonaginta Elephantos hoſtes oppoſuiſſe, contraq; Scipionis triginta ex hoc numero pugnaſſe quintam legionem, victoriamq; retuliſſe, eamq; ob cauſam ipſam legionem poſtea ſibi Elephantis imaginem adiecisse, idq; inſigne tuliſſe ſuis etiam temporibus, Appianns de Ciuilibus bellis libro ſecundo memoriæ prodidit. Hic memorare quidem digniſſimum eſt virtutem militis cuiuſdam veterani huius legionis: qui, eo prœlio cum in Scipionis exercitu in ſiniſtro cornu Elephas in lixam inermem impetum feciſſet, eumque ſub pede ſubditum, deinde genu innixus, pondere ſuo, proboſcide erecta, vibranteq;, ſtridore maximo premeret, ferre non potuit, quin ſe armatum beſtiæ offerret. militem poſtquam Elephas ad ſe telo infeſto venire animaduertit, relicto cadauere, eum proboſcide circundat, atque in ſublime extollit armatum,

qui in eiuſmodi periculo cum conſtanter agendum ſibi videret, gladio proboſcidem, quo erat circundatus, cædere, quantum viribus poterat, non deſtitit. quo dolore adductus elephantus, milite abiecto, maximo cum ſtridore curſuq; conuerſus ad reliquas beſtias ſe recepit. ſic A.Hirtius Commentariorum de bello Africo lib. v. ſcriptum reliquit. Nec non ad Munificentiam, vt ſupra dixi, referri plerique credunt, quam ipſe Cæſar exhibuit in ſpectaculis ab ſe editis quatuor poſt actos triumphos Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, & Libycum. ſiquidem tertio eius Conſulatu viginti pugnaſſe Elephantos contra pedites quingentos, iterum totidem turritos cum ſexagenis propugnatoribus, eodem quo priores numero peditum & pari equitum è diuerſo dimicantibus, Plinius auctor eſt libri VIII. cap. XXXIX. & ante Velleius ſcriptis mandauit.

Quæ præterea inſignia ab altera nummi parte cernuntur, inſtrumenta ſunt, quibus in ſacris vtebantur ſacerdotes, & Cæſari tanquam Flamini primum Diali, & mox Pontifici adſcripta fuere, ſcilicet Albogalerus, Malleus, ſiue Securis ænea, Aſpergillum, vt nonnullis placet, & Capedo. Albogalerus enim à Feſto ita deſcribitur: Albogalerus à galea nominatus eſt. Eſt enim pileum capitis, quo Diales Flamines, ideſt ſacerdotes Iouis vtebantur. fiebat enim ex hoſtia alba Ioui cæſa, cui affigebatur apex virga oleagina. Hinc apud Iſidorum Aetymologiarum libro XIIX. capite XIIII. eſt: Galeros corium dicitur. Varro apud Gellium libri X. cap. XV. ſuper Flamine Diali, ita inquit: Is ſolus Album galerum: vel quod maximus eſt, vel quòd Ioui immolata hoſtia albo fieri oporteat. quo & Mercurium capite cooperto pingi ſolitum fuiſſe, Fulgentius in Mithologijs ſcribit,& Numiſmata teſtantur. Quæ à pilei lateribus pendent vellera, erant lanæ, licet Seruius ſuper illud Virgilij VIII. Aeneidos,

Lanigeroſq; apices,

lanam deſuper virgam fuiſſe dicat, hiſce verbis: Flamines in capite habebant pileum, in quo erat breuis virga deſuper habēs lanæ aliquid. Quod cum per æſtus ferre non poſſent, filo tantum

„ tum capita religare cœperunt; nam nudis penitus eos capitibus
„ incedere nefas fuerat: vnde à filo, quo vtebantur, Flamines di-
„ cti sunt, quasi filamines. Verum festis diebus filo deposito, pilea
„ necesse erat accipere: quæ secundum alios ad ostentandam sacer
„ dotij eminentiam sunt reperta: sicut columnæ mortuis nobilibus
„ superponuntur ad ostendendum eorum columen. Alij dicunt,
„ non propter eminentiam dignitatis hoc factum, sed quia cum sa
„ crificarent apud Laurolauinium, ex eis exta frequenter aues de
„ vicinis venientes locis abriperent, & eminentia virgarum eas ter
rere voluerunt. Exinde etiam consuetudo permansit, vt apud
„ Laurolauinium ingentes haberent virgas, non breues, vt in vr-
be. hæc Seruius. Lanam, quam Seruius dicit super pilei virgam fuisse, à lateribus pependisse, nummi ostendunt. Alexander Genialium libri II. cap. VIII. dicit, Galerum proprium fuisse Pontificum. De ceremonijs autem Flaminis Dialis erudite scripsit Gellius capite supra citato. Malleo autem, vel Securi cædebantur tauri ictu auriculæ dextræ: de quo Ouidius libro Metamorph. secundo ita meminit:

. . . . , haud aliter, quàm, cum, spectante iuuenca,
Lactentis vituli dextra libratus ab aure
Tempora discussit claro caua malleus ictu.

Securis enim à secando dicta videtur, quia hostiæ carnem in plurimas secabat partes. Hæc proprie erat Pontificum, quamuis & Secures Consulum essent insignia; eaq; victima percutiebatur, vt de boue loquens Ouidius Fastorum libro IIII. ait.

Apta iugo ceruix non est ferienda securi.

Et Horatius Carminum lib. III. Ode XXIII.

Aut crescit Albanis in herbis
Victima, Pontificum secures
Ceruice tinges: te nihil attinet
Tentare multa cæde bidentium
Paruos coronantem marino
Rore Deos, fragiliq; myrto.

Aspersorium quidem, siue Aspergillum, est, quo lustrabant se

ſpargendo aqua, quæ in templis erat. verum Maronis interpres Seruius in illa libri VI.

> Idem ter ſocios pura circuntulit vnda,
> Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ,
> Luſtrauitq; viros:

oſtēdit moris fuiſſe, vt Aſꝑgillū de ramo lauri potius fieret, quàm equinæ caudæ pilis, vt innuit hic typus, quo, vt ait Donatus, in purgationibus aqua pura ſpargerentur: vnde etiam inferius in eodem libro Virgilius:

> Occupat Aeneas aditum, corpusq; recenti
> Spargit aqua, ramumq; aduerſo limine figit.

Sed quia laurus nata erat in Palatio, vt fertur, eo die, quo ipſe Auguſtus natus, vnde triumphantes coronari conſueuerant, cum Poeta ibi loqueretur de funere, noluiſſe videtur laurum lugubri in officio nominare. Seruianæ ſententiæ aſtipulatur vetuſtus quidam lapis Romæ, in quo cum alijs Pontificalibus ac religionis inſignibus videlicet Lituo, Pileo ſacerdotali, Patera, quæ aurea fuerat, teſte Virgilio, atque Cicerone; Simpullo, Capedine, Seceſpita, quæ, vt Feſtus ait, cultrum erat ferreum, oblungum, manubrio, rotundo, ſolido, vincto ad capulum auro, argentoq; fixum clauis æneis, æræ cyprio, quo Flamines, Flaminicæ virgines, Pontificesq; ad ſacrificia vtebantur; Securi, vel dolabro, & mappa, Vrceolo, & Acerra, quæ arcula fuit thuraria, vbi thus ſcilicet reponebant, vt inquit Feſtus, Virgilio etiam teſte, Ouidio, Horatio, & Plinio, Aſperſorum ex ramo lauri, vel oliuæ inſculptum cernitur. quorum quidem inſtrumentorum imagines maioris intelligentiæ gratia, omnes, quàm potui accurate in formis æreis expreſſi, atque hic ſubijcere inſtitui: de quibus omnibus inſtrumentis planius opportuniori loco in alijs libris verba faciam.


Vrceolus, Venetiæ
Capedo
Patera, Venetiæ
Patera
Patera
Acerra
quæ et arca
thuraria
Dolabra
Mappa
Secespita

De Capedine autem ſic Cicero in Paradoxis XII. Quid autem Numa Pompilius? minus ne gratas dijs immortalibus Capedines ac fictiles vrnulas, quam filicatas aliorum pateras arbitramur? & libro III. de Nat. Deor. Docebo, inquit, meliora me didiciſſe de colendis dijs immortalibus iure Pontificio & more maiorum, quàm Capedunculis, quas Numa nobis reliquit. Huius formam diligentia noſtra ex eodem marmore ſumpſit, & in eadem tabula deſcripſit, ab Caroli etiam Sigonij opinione adiuta. Capedo enim à capiendo thure ex acerra dicta eſt. Sunt tamen qui putent hoc Sympullum, ſiue Simplum, aut Simpuuium eſſe, quod erat calix fictilis, quo vinum in ſacrificijs libabatur: à ſumendo, quòd eo vinum prolibaretur minutatim, dictum. Differentia enim inter Capedinem & Simpulum conijcitur à varietate formæ in eo marmore antiquo exculptæ. Capedinem enim ego ex æræ cyprio vnã antiquiſſimã habui, quæ nunc apud virũ inter Iuriſconſultos ac antiquitatũ peritos egregium, ac eruditiſſimum, Tiberium Decianum, in Gimnaſio Patauino lectorem publicum, hac effigie habetur. ſed de Capedine latius in nummi Germanici Cæſaris Commentario. Feſtus de Simplo ſic ſcriptum reliquit: Simplum vas paruum, non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificijs libabatur, vnde mulieres rebus diuinis deditæ Simpulatrices dicuntur. De hoc Iuuenalis etiam Satyra VI.

. . . . aut quis
Simpuuium ridere Numæ, nigrumq; catinum.

Et Plinius libro XXXV. vbi de plaſtice, ait: In ſacris quidem etiam inter has opes non murrhinis, criſtallinis ve, ſed fictilibus prolibatur Sympullis. Apud Baifium in libro de Vaſculis, Sympulli habetur figura, atque in marmore Romano, quorum, quoniam aliquantulum forma inter ſe differunt, exempla in eadem tabula deſcripſi.



CERE-

CERERIS IMAGINIS, ET RELIGIONIS SIGNORVM

IN NVMMO XIX.

COMMENTARIVS.







ODEM temporis ſpatio magno tritici prouentu, & ludorum occaſione, quos Cæſar Conſul & Dictator vtrunque tertium, Augur, & Pontifex Maximus, poſt triumphum Africanum in honorem Cereris ediderat, alter hic nummus eſt ſignatus cum Cereris capite ab vno latere ariſtis redimito, & inſcriptione: DICT. TER. COS. TERT. ab altero religionis notæ cum litteris, AVGVR. PONT. MAX. Nempe Cæſarem poſt debellatum L. Scipionem, & Iubam Mauritaniæ, & Numidiæ, regem, tertio eius Conſulatu, magnificētiſſima in Circo Maximo ſpectacula celebraſſe, Plutarchus in Cæſare, Dio libro XLIII. Appianus de Ciuilibus bellis libro II. & Plinius libri VIII. cap. VII. teſtantur. Inter hæc ſpectacula ludi quoque Cereris annui Idus Aprilis v. hoc eſt nono menſis die, Romæ edebantur, vnde illa ſunt Ouidij libri Amorum tertij Elegiæ x.

Annua venerunt Cerealis tempora ſacri:
  Secubat in vacuo ſola puella toro.
Flaua Ceres tenues ſpicis redimita capillos,

Cur inhibes ſacris commoda noſtra tuis?

Hos enim ludos tunc Cæſarem exhibuiſſe conijcitur, quos etiam ſequenti anno, eo quidem die, quo ipſe Cæſar victor extiterat, iterum celebrauiſſe, idem oſtendit III. Faſtorum:

Tertia lux, memini, ludis erit: hæc mihi quidam
Spectanti ſenior, continuusq; loco,
Hæc, ait, illa dies, Libycis qua Cæſar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Iubæ.

Qui paulo poſt ita ſubiungit:

Circus erit pompa celeber, numeroq; deorum,
Primaq; ventoſis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi non eſt opus indice cauſæ,
Sponte deæ munus promeritumq; ſuum.

cum Cereris nuptiæ, quæ, vt Seruius ait, Orci nuptiæ dicebātur, etiam à Pontificibus ſolennitate maxima ſolitæ eſſent celebrari. itaque ab vno latere nummi Deæ imago conſpicitur tritico coronata, quòd, vt inquit Plutarchus, Romam ex Africa ingens frumēti copia peruecta eſt. eius verba hæc ſunt: Romam ex Africa rediens ex ea victoria magnifice per ora populi ferebatur. Tantum enim agri in ditionem ſubactum, vt annuo prouentu percepturus fiſcus eſſet, tritici quidem ducenta millia modium Atticorum, olei vero trecentas myriadas. Porro ingentia militibus congiaria dediſſe, idem inferius teſtatur. Hinc apud Dionem libro XLIII. ſic ſcriptum legitur: Ad hunc modum peracto triumpho, magnificum populo epulum dedit, addito extra ordinem frumento, oleoq;. Diſtributo frumento in populum, viritim inſuper trecentenos nummos diſtribuit, quos promiſerat, adiectis alijs centenis: militibus autem bina in ſingulos ſeſtertia diuiſit. Nec ſola munificentia contentus cetera quoque accurate inſpexit: cumq; numerus eorum, qui ex publico frumentum accipiebant, non legitime, ſed eo modo quo in ſeditionibus fieri aſſolet, excreuiſſet, inſtituta recenſione, dimidiam circiter partem eius amputauit. Idemq; Suetonius ait capite XXIIX. Veteranis, legionibus, prædæ nomine, in pedites ſingulos

ſuper

ſuper bina ſeſtertia quæ initio tumultus numerauerat, in equites vicena quaterna nummum dedit. Aſſignauit & agros, ſed nõ continuos, ne quis poſſeſſorum expelleretur. Populo, præter frumenti denos modios, ac totidem olei libras, tricenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim diuiſit, & hoc amplius centenos pro mora. Annuam etiam habitationem Romæ vſque ad bina millia nummũ, in Italia non vltra quingenos ſeſtertios remiſit. Adiecit epulum ac viſcerationem, & poſt Hiſpanienſem victoriam duo prandia. Nam quum prius parce, neque pro liberalitate ſua præbitum indicaret, quinto poſt die aliud largiſſimum præbuit. Cur autem Cereris ſimulacra ſpicis coronarentur, ſi quis ſcire voluerit, Ouidium legat Faſtorum III. & Amorum libro III. elegia X. Ego, quantum ad myſticam huius Deæ hiſtoriam pertinet, alijs ſequentibus in libris ſum explicaturus.

Cæterum quod ad Cæſaris tertium Conſulatum pertinet, idem Nicæus initio libri XLIII. poſt victoriam de Ponto, ait: Sequenti anno ipſe Dictaturam Conſulatumq́; tertio vtrunque magiſtratum collegaq́; Lepido geſſit. Eutropius autem libro VI. cap. VI. dicit, Cæſarem deuicto Pharnace Romam reuerſum, tertium ſe Conſulem feciſſe cum M. Aemilio Lepido; inde in Africam profectum; poſt annum regreſſum eſſe, ſtatimq́; ſe quartum Conſulem creaſſe, Hiſpaniasq́; petiſſe contra Cn. Pompeij liberos, neque ſpectaculorum, neque triumphorum tempus intermiſiſſe.

Addam inſuper quæ de tertio eiuſdem Conſulatu ſcriptum reliquit Suetonius cap. LXXVI. Tertium, inquit, & quartum Conſulatum titulo tenus geſſit, contentus Dictaturæ poteſtate cum Conſularibus ſimul. de quo & Cenſorinus meminit in libello de Die Natali. Quantum præterea ad tertiam Cæſaris Dictaturam, ipſe, victo Pharnace Ponti rege, deinceps per alterum annum Dictatorem ſe fecit, erat enim Dictatura legitima ſex tantum menſium magiſtratus, quo dabatur ſumma poteſtas in populum, ſimulq́; tertium Conſulem, vt ſupra ex Dionis ſententia retuli.

De Cæſare autem Augure videtur Cicero intellexiſſe in ea epiſtola XIII. Familiarium ad P. Seruilium Iſauricum Aſiæ pro

Cos.

Cos. vbi inquit: Sperare tamen videor Cæſari collegæ noſtro, fore curæ, & eſſe, vt habeamus aliquam remp. Qua in re mecũ ſentit Paullus Manutius in eloquentia Latinæ linguæ conceſſu omnium ætatis noſtræ facile princeps. Ex inſtrumentis vero ſacerdotalibus, quæ infra exculpta ſunt (Capedo ſcilicet, & Aſperſorium, ſi Aſperſorium credimus eſſe, Vrceolus, & Lituus) de Capedine, & Aſperſorio in præcedenti nummo verba feci, de Vrceolo ſic Baifius in libro de Vaſculis: Vrceus, cuius diminutiuum Vrceolus, vas aquarium, vt tamen Vrceus eſſet vas ad aquam frigidam, Vrceoli ad caldam. cuius etiam formam ille huic ſimilem addit pictam. De Vrceolis autem miniſtratorijs, hoc eſt, quibus ad lotionem manuum miniſtrabatur, ſic in epigrammate apud Martialem libro XIIII.

Vrceoli miniſtratorij.

Frigida non deſit, non deerit calda petenti:
Sed tu moroſa ludere parce ſiti.

Solebant, enim veteres, haud ſecus atque pietas Chriſtiana, in ſacrificijs lauare manus, vnde & mappa, qua ſacerdos manus abſtergebat, in antiquo lapide Romano cum alijs Pontificalibus inſignibus, ſicuti ſuperius deſcripſi, decernitur. In veteri alio marmore Carrarienſe, ſummaq; elegantia exculpto, Venetijs monaſterij D. Danielis in muro, qui ſpectat riuum iuxta Virgines, Vrceoli raſili opere, & pateræ imagines etiam habentur, cuius exemplum in tabula alijs cum pietatis inſignibus non præter miſi ſcribere, De Gutto autem iam ſuperius in Numiſmate III. verba feci. de Gutturnio, quod à Polluce libro I. inter ſacrorum inſtrumenta annumeratur, ſic Feſtus: Gutturnium vas, ex quo aqua manibus datur: ab eo dictum, quod propter oris anguſtiam guttatim fluat. De Lituo autem; quo ſedentes Augures auibus templa deſignabant, apud Gellium verba Higini in Virgilium libri V. cap. VIII. ita ſe habent: Lituus eſt virga breuis, in parte qua robuſtior eſt, incurua, qua Augures vtuntur. Cicero I. de Diuinatione: Quid Lituus iſte veſter, quod clariſſimum eſt inſigne Auguratus, vnde nobis eſt traditus? Nem-

pe eo Romulus regiones direxit, cum vrbem condidit. qui quidem Romuli lituus, ideſt incuruum, & leuiter à ſummo inflexũ bacillum, quo canitur, ſimilitudine nomen inuenit, cum ſitus eſſet in Curia Saliorum, quæ eſt in palatio, eaq; deflagraſſet, inuentus eſt integer. Idem lib. II. Omitte igitur, inquit, lituum Romuli quem in maximo incendio negas potuiſſe comburi. De Lituo item, & Auguratu, quod perpetuum olim fuit, ſacerdotium, Liuius Dec. primæ libro primo de Romulo ſcribens, ait: Inde ab Augure, qui deinde honoris gratia publicum id perpetuumq; ſacerdotium fuit. Deductus in arcem, in lapide ad meridiem verſus conſedit, Augur ad læuam eius capite velato ſedem cepit, dextra manu bacculum ſine nodo aduncum tenens, quem lituum appellauerunt. Ad Litui veterum Romanorum ſimilitudinem refert etiam Lituus iſte noſter, quem maximi Pontifices, atque minores in ſacras pompas, ac diebus feſtiuis gerunt, vulgo Paſtorale. De Auguratu Feneſtella capite IV. & Pomponius Lætus capite V. ex Dionyſio Alicarnaſſeo ſcripſere. De Pontificatu maximo Cæſaris, Velleius poſter. volumine: Ante præturam, inquit, victus maximi Pontificatus petitione Q. Catulus omnium confeſſione Senatus princeps. Dio item libro XXXVII. ait: Metello enim Pio defuncto, Cæſar eius Pontificatum petebat, iuuenis adhuc, & qui nondum præturam geſſerat: &c. Et Tranquillus cap. XIII. ait: Prædixiſſe matri oſculanti fertur, domum ſe niſi Pontificem non reuerſurum; atque ita potentiſſimos duos competitores, multumq; & ætate & dignitate antecedentes ſuperauit. Q. videlicet Lutatium Catulum, Syllanæ factionis principem, & P. Seruilium Iſauricum. Plutarchus in Apophthegmatis: Deductus Cæſar à matre ad fores: Hodie, inquit, ò mater, aut filium Pontificem habebis, aut exulem. idem quoque ait in Cæſaris vita. Porro de maximi Pontificis officio, quæue fuerint eius inſignia, quibusq; legibus aſtrictus eſſet, Alexander ab Alex. erudite ſcripſit. Scripſit etiam Pomponius Lætus libelli de Sacerdotijs capite X. & Feneſtella cap. VIII.

DEVI-

DEVICTIS POMPEII LIBERIS, ANNO AB VRBE CONDITA DCCVIII.

CAESARE COS. IIII. DICT. IIII.



VICTORIAE CAPITIS, ET EIVSDEM BIGAS AGITANTIS SIGILLI, IN NVMMO XXIIII. COMMENTARIVS.







Aesar vindicatis in poteſtatem toto fere orbe terrarum gentibus multa cæde mortalium, pace concordiaq; bello, atque armis Populo Romano comparata, Victoriatum nummum veterum more argenteum, per Muſſidium Longum cudere permiſit, ab vno latere Victoriæ imaginem habentem, ab altero ipſam Victoriam curuli certamine bigas agitantem, cum inſcriptione: L. MVS-

SIDIVS LONGVS, ad memoriam ſpectaculorum, quæ tunc temporis, Cæſaris victoriarum gratia, in vrbe data fuerant, de quibus mox dicam.

IN CAESARIS IMAGINIS IN TABVLAE CAPITVM NVMMO II. ET GVBERNACVLI NAVIS, GLOBI, CORNVCOPIAE, CADVCEI, ET PILEI NOTAS. IN TABVLAE POSTER. PART. NVMMO XXV. COMMENTARIVS.







ALTER atque eodem ſub tempore nummus eſt ſignatus cum Gubernaculo nauis ex aduerſo latere, Globo, Cornucopiæ, Caduceo, Pileo ſacerdotali, ac inſcriptione eadem: L. MVSSIDIVS LONGVS, ſymbolice ſignificans, ſe beatam ciuibus vitam, ideſt pacem & concordiam, diuitias, atque bonorum omnium copiam promittere, in quibus iuxta Auguſtini definitionem in v. de Ciuitate

uitate Dei, & Boetium in tertio Conſolationis, videtur humana felicitas conſiſtere. Prima enim nota Gubernaculum eſt nauis,& principem orbis terrarum metaphorice declarat. quæ ſequitur pila, terræ globum per regiones diuiſum ſignificat. Cornu pilæ ſuperpoſitum, & omnium fructuum genere plenum, terræ feracitatem, diuitiarumq; copiam indicat: nam diuitiarum fructus eſt in copia, vt Cicero in Paradoxis ſcripſit. Proxima vero, Caduceus eſt. hic pacis atque concordiæ apud veteres typus fuit. Nouiſſima autem nota Pileus eſt Cæſaris,ob maximi ſacerdotij, geſtamen. His omnibus hieroglyphice ſignificare voluit, ſe optimum orbis terræ gubernatorem, copia diuitiarum omnium, ac pace victorijs parta, in Europa, Aſia, & Africa Populi Romani felicitatis auctorem fuiſſe. Hoc etiam verbis humaniſſimis in oratione, quam habuit ad Senatum, eum oſtēdiſſe apud Dionem legas libro XLIII. Verum hoc etiam manifeſtius apparet, nummum iſtum hac ratione formatum fuiſſe, quòd eo tempore à Senatu templa ad honorem Cæſaris conſecrata ſunt: quorum Clementiæ vnum, vt Plutarchus, alterum Aequitati, vt Dio libro XLIII. tertium Libertati publicæ, alterum nouæ Concordiæ eſt decretum, tanquam pro eo reſpub.pacata eſſet, & libera. nam,vt Cicero inquit ad Brutum, libertas ſine pace nulla eſt. Alterum porro Felicitati populi Romani dedicatum eſt templum, Dione teſte libro XLIV. cuius deæ ſimulacrum à veteribus Cornucopiæ, & Caduceo deſcriptum fuiſſe, ſuo oſtendemus loco. Hæc ſanè omnia vere principem decent, pacatum regere orbem, clementia erga humiles vti, æquitatem inter ſubditos ſeruare, pacem alere, concordiam inter diſcordes reducere, rerum omnium copiā, quas natura deſiderat, populo ſuppeditare, vt merito ille felicitatis populi auctor dici poſſit. quæ quidem virtutes clare & egregie veluti in vno diuini animi ſimulacro, omnes conſpicit ætas noſtra in Pio IV. Pontefice Maximo: ſiquidem per eum vera libertas, æquitas, & induſtria ciuitatibus redditæ ſunt. per ipſum acceſſit ſacroſancto Senatui maieſtas, iudicijs integritas, fracta iniquorum potentia, honor benemerentibus tributus, ad virtutem

excitata

excitata omnium voluntas vel ſpe præmiorum, vel pœnæ metu. Quando annona in vrbe moderatior? quando pax lætior? &, vt ex Scipionis ſententia vſurpare conſueuerat alter Pius, Antoninus ſcilicet Imperator, hic omnium in Chriſto fidelium optimus pater, mauult pace vnum ſeruare ciuem, quàm bello mille hoſtes victor occidere. hodie ſuperatur æquitate gratia, ambitio virtute. nam facere recte ciues ſuos princeps optimus faciendo docet: cumq; ſit imperio maximus, exemplo maior eſt. Sed ad nummi explicationem redeamus. Ad illas porro Cæſaris virtutes videtur ſpectaſſe Virgilius, cum Egloga IIII. ad ineundam ab Auguſto gratiam, ita cecinit:

Pacatumq; reget patrijs virtutibus orbem.

Ad hæc comprobãda addatur hoc etiam: Senatum poſt Libycam victoriam in ſigno æneo orbis imagine ſtatuam Cæſari ex decreto publico collocaſſe cum inſcriptione: SEMIDEVS, quod Dio oſtendit libro XLIII. ſic ſcribens: Ipſe quoque ſuper imaginem orbis terrarum poſitus ſtatueretur cum ea inſcriptione: SEMIDEVS EST. qui ſtatuam hanc ſub pedibus terræ formã, habuiſſe eodem in libro hiſce verbis ſignificat: Cæſar vero gradibus in Capitolio genibus ingreſſus conſcendit, nulla neque currus, qui ei ex aduerſo Iouis poſitus fuerat, neque imaginis orbis terrarum pedibus ſuis ſubiectæ, neque inſcriptionis eius habita ratione, poſt SEMIDEI quoque nomen de illo titulo ſuſtulit. Pila enim orbem terrarũ ſignificat, quo fortaſſe exẽplo filius eius Auguſtus inſignis militaribus poſtea conſtituiſſe fertur, propter nationes ſibi in toto terrarũ orbe ſubiectas, vt magis figurã orbis victi oſtenderet, quod in Etymologiarum libri XVIII. cap. III. Iſidorus tradit. hoc enim habetur numiſma apud Antonium Caluum, patricium Venetum. Verum neque prætereundum cẽſeo, quendam Conſidium cognomento Longum etiam fuiſſe Pompeianarum partiũ legatum, ſicut legere eſt apud A. Hirtium de bello Africo libro V. vt planius intelligas in Romanorum familijs Longorum cognomentum fuiſſe

IN CAESARIS IMAGINIS
IN TABVLAE CAPITVM
NVMMO III.
ET
CADVCEI, FASCIVM, SECVRVM,
MANVS IVNCTARVM,
ET GLOBI NOTAS.
IN TABVLAE POSTER. PART.
IN NVMMO XXVI.
COMMENTARIVS.






N ALIO cum argenteo tum aureo nummo à L.Buca ſuperius nominato impreſſo, vidi ab vna facie Cæſaris caput cum titulo CAESAR DICT. PERPETVO. ab altera Caducei, Faſcis, virgarum, Securis, Manuum vinctarum atque Globi notas, cum ſubſcripto: L. BVCA. His quinque notis felicitatem, beatamq; vitam ciuibus proponere voluit (deerat ſanè ad felicitatis perfectionem Iuſtitia, ac Fides, quas hic ſignificari paſſus eſt) quibus interpretari poſſumus, Pacem, Concordiam; ac Fidem principis orbis terrarum Iuſtitia conſeruari. vel intelligi licet, Cæſarem eo anno, quo erat Dictator quinctum, ſubiecto ſibi orbe, atque pacato, his notis declarare voluiſſe, pacem ſe concordiamq; ciuibus Romanis omnibus

omnibus attuliſſe, ſimulq; iuſto, clemente, pacato, ac moderato imperio vti velle, vt ipſe in ea ad Senatum oratione, quam ſuperius ex Dione meminimus, promiſerat. Caducei vero hiſtoriam in Auguſti & in Tiberij explicationibus latiſſime declarabimus. de pila ſuperius verba fecimus. Manus porro iunctas Concordiã ſignificare, complurima veterum Numiſmata, aliaq; monumenta docent. Numa Pompilius, Romanorum Rex, Flamines manibus ad digitos vſque inuolutis rem diuinam facere voluit, ſignificans ſymbolice fœdera tutanda eſſe, ac eius ſedem in dextris eſſe ſacratam, Cœlio teſtante Antiquarum lectionum libri v. cap. XLI. ideo notandum hoc argumento, in nummis, lapidibus, ac ſtatuis antiquis, dexteras inuicem vbique iungere, læuas vero nunquam, vt Pietatem etiam, Amoremq; mutuum declararent, ſicuti lepidiſſime inſculptum nouiſſime vidi in duobus argenteis nummis inter elegantiſſima eiuſdem, iam nominati, Antonij Calui numiſmata, altero Imp. D. Cœlij Balbini, altero Pupieni Maximi Auguſtorum, cum hoc manuum iunctarum ſigillo, & inſcriptione in illo; PIETAS MVTVA AVGG. in iſto, AMOR MVTVVS AVGG. quarum exempla ſuo loco deſcribenda curabimus. Faſces ex virgis betulæ Gallicæ arbore, mirabili candore, fieri ſolitos, auctor eſt Plinius libri XVI. cap. XIIX. quibus non licuiſſe ciuem Romanum, ſed tantum peregrinos cædere, apud Plutarchum in Cæſare obſeruatum eſt; quod plane comperitur in Actis Apoſtolorum cap. XXII. Paulli hiſtoria. Faſces enim atque ſecures purpura colorabantur, teſte Plinio libri IX. cap. XXXVI. Qui Imperatoribus præibant faſces, lauro circundatos fuiſſe idẽ Plinius tradit libri XV. cap. XXX. Faſces præterea cum Securibus vſos fuiſſe tum Romanos Reges, tum Decemuiros, tum Conſules, tum Dictatores, tum Imperatores, tum Prætores in Vrbe, ſed nõ extra pomeriũ, tum Proconſules, ac Quæſtores obſeruatũ eſt, & legitur apud Alexandrum Genial. Dierum libri primi, capite XXVII. Plutarchus quidem in Problematis rationem cauſamq; virgarum, & Securium explicat his verbis. Quid eſt quod „ Prætorum virgæ ſecuribus alligatæ præferuntur? an ſignum eſt „ non

„ non oportere magiſtratus iracundiam promptam, ac diſſolutam
„ eſſe. An virgarum diſſolutio mora & tarditate iram frangit, &
„ impetum moderatur. Sed malitia quoniam partim medicabilis
„ eſt, partim curari nõ poteſt, virgæ quod mutari poteſt corrigunt,
„ ſecures autem, quod emendari non poteſt, abſcindunt. Neque ſanè prætereundum eſt, ne antiquitatum, linguæq; Latinæ cultores, nummulariorum iuniorum malitia fraudentur, me vidiſſe numiſma quoddam æreum, fere vnciale, hoc ſigno impreſſum ab vna parte, ab altera Cæſaris caput, quod ſignum, licet vetuſtatis faciem aliquantulum præferat, tamen cum ex alijs indicijs mihi manifeſtiſſimis, tum ex litteris, LEVCA, nouum, atque falſum ab aliquo iuniore nummulario adulteratum, deprehendi, cum in omnibus argenteis veteribus nummis ſignatum ſit, L.BVCA. vt ſuperius plane oſtendi.



IN CAESARIS IMAGINIS, IN TABVLAE CAPITVM NVMMO II. ET PACIS SIMVLACRI NOTAS, IN TABVLAE POSTER. PARTIVM NVMMO XXVII.

COMMENTARIVS.





VNam ſæpe eandemq; rem varijs modis veteres declarauere. hoc deprehenditur ab altero nummo argenteo, in quo exculpta eſt ab vna parte effigies Cæſaris ſine inſcriptione, vel alia nota: ab altera Pacis ſimulacrum læua cōto innixum, dextera caduceum porrigens, quaſi intelligeretur eo ſymbolo, Cæſarem rempublicam pacaſſe. pacis enim belliq; arbiter à Senatu factus fuerat, Dione auctore libro XLII. Nummi autem huius exemplum Patauij accepi à M. Antonio Maximo, rerum antiquarum maximo admiratore. Formatus itaque eſt eadem ratione, qua præſcripti fuere, cum hoc monumento: L. FLAMINIVS IIII. VIR. De quodam Flaminio Cæſari ſuperſtite, à Cicerone Flamma nuncupato, mentio eſt in Epiſtolarum ad Atticum libri XIV. epiſtola XIV. & XV. atque libri XV. epiſtola I. & II. Hic enim an Quartumvir fuerit Quinquennalis, an viarum curandarum, non clare comper-

tum eſt. verum, Quatuorvirum Quinquennalem potius fuiſſe arbitror, qui ludis præerat Quinquennalibus, hoc eſt, qui in primo vniuſcuiuſque luſtri anno, Olympiorum more, Romæ edebantur. ſiquidem in quincto eius Conſulatu anno vrbis conditæ DCCIX. Olympiadis vero CLXXXIV. anno primo, Cæſarem, omnium gentium victorem, magnificentiſſimos ludos celebraſſe, ſupra oſtendimus. quo quidem tempore Quinquennale certamẽ à Senatu ad honorem Cæſaris inſtitutum fuiſſe, apud Dionem videre eſt libro XLIV. Præterea & Quatuorviros Quinquennales fuiſſe, antiquæ inſcriptiones monent, è quorum fortaſſe numero Lucius hic Flaminius fuit. vetus enim inſcriptio Puteolis Italiæ oppido ſic habetur:

C. CLVVIVS. M. F.
III. VIR.
AVDI. II. VIR
NOLAE. IIII. VIR
QVINQVENNAL.
DE SVO. FACIVNDO
COERAVIT. IDEM RESTITVIT.
IOVI. O. M. SACR.

Alia apud Ferentum in monte lapideo, vbi dicitur la Frata, his incipit verbis: A. QVINTILIO. A. F. PAL. PRISCO. III. VIR. IVREDIC. IIII. QVINQ. AED. PONT. ADLECTO. EX S.C. PONT. PRAEF. FABR. CVIVS. OB. EXIMIAM. MVNIFICEN. QVAM. IN MVNIO. SVO. CONTVLIT. SENATVS. STATVAM. PVBLICE. PONENDAM. IN FORO. VBI. IPSE. VELLET. CENSVERE. H. D. I. R. & quæ ſequuntur.

IN CAESARIS IMAGINIS
IN TABVLAE CAPITVM
NVMMO IIII.
ET
EQVORVM BIGAE NOTAS,
IN TABVLAE POSTER. PARTIVM
NVMMO XXIIX. ET XXIX.

COMMENTARIVS.








ONFECTIS, vt paulò ante dixi, bellis ciuilibus, ipſo eodem tempore & Dictatore & Conſule quartum, (Conſulatus autem per decennium, Appiano tradente, fuit Cæſari decretus) ex Hiſpania Octobri menſe Romam regreſſo, vt Velleius ait, hunc inter menſem & Ianuarium, ducto Hiſpanienſi triumpho, editiſq; magnificentiſſimis ſpectaculis, cum ſe Conſulatu abdicaſſet, (quem titulo tenus geſſerat, contentus Dictaturæ poteſtate cum Conſulatibus ſimul, vt Suetonius inquit cap. LXXVI.) nummus percuſſus eſt cum effigie Cæſaris velata lauro, & ex occipitio Lituo, cum ſcripto: CAESAR DICT. QVART. ab alio latere cum Bigis, hac ſubſcriptione: M. METELLVS. in alio Quadrigæ, & ſub pedibus: M. METTIVS. Quartum enim Dictatorem fuiſſe Cæſarem eo anno, quo Pompeij liberos vicerat, A.Hirtius in VI. de bello Hiſpanienſi teſtatur, quo & Conſulem quartum fuiſſe Appianus

pianus in II. Ciuilium, & Eutropius in VI. ſcribunt. quo temporis ſpatio ſpectacula varij generis ipſe celebrauit, auctore Velleio, ita dicente: Cæſar, omnium victor, regreſſus in vrbem, quod humanam excedat fidem, omnibus, qui contra ſe arma tulerant, ignouit; magnificentiſſimisq́; gladiatorij muneris naumachiæ, & equitum peditumq́;, ſimul elephantorum certaminis ſpectaculis, epulisq́; per multos dies datis, celebratione repleuit eam. Adde præterea, quod amplius dixit Tranquillus capite XXXIX. qui docet bigas, quadrigasq́; certaſſe, ſic ſcribens: Circenſibus ſpatio Circi ab vtraque parte producto, & in gyrum euripo addito, quadrigas, bigasq́;, & equos deſultorios agitauerunt nobiliſſimi iuuenes. &c. quò fortaſſe ſpectauit Maro in V. Aeneidos, cum dixit:

Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere ruuntq́; effuſi carcere currus.

Metellorum enim gens perilluſtris fuit apud Romanos, ex qua eſt hic M.Metellus, qui eo nobiliſſimorum iuuenum numero, de quibus intelligit Tranquillus, bigas agitauerit. & apud Ciceronem Epiſtolarum ad Atticum libri II. epiſtola prima de M.Metello ita fit mentio: kal. Iun. eunti mihi Antium, & Gladiatores M.Metelli cupide relinquenti, venit obuiam tuus puer. &c. M. autem Mettius ille quis fuerit, obſcurum eſt: ſed fuiſſe non ignobilem familiam, nummus indicat. bigas enim Lunæ ſacras fuiſſe, ſicuti Soli quadrigas, & inferis trigas, ſeiugas Ioui, & deſultores Lucifero, & Heſpero, veteres tradidere. Bigas ideo Lunę, quoniam gemino curſu cum Sole contendit, ſiue, vt Iſidorus inquit, quia & nocte videtur & die, hacq́; de cauſa biiugorum alter niger, candidus alter curru iunguntur. Quadrigas ideo Soli iungunt, quia per quatuor anni tempora annus vertitur, ver, æſtatem, autumnum, & hyemem. horum enim vnus equus roſeus eſt, Soli, ideſt igni, conueniens; alter albus, aeri; ſequens praſſinus, terræ; vltimus Venetus, mari ſimilis eſt. Item roſeos æſtati currere inſtituerunt, quòd ignei coloris ſint, & cuncta tunc flaueſcant: albos hyeme, quòd ſit glacialis, & frigoribus vniuerſa

caneſcant

caneſcant: vere praſſinos, viridi colore, quia tunc pampinus denſatur: item roſeos currere, quia Marti ſacrauerũt, à quo Romani ortum ducunt, & quia Romanorum vexilla croco decorantur, ſiue quòd Mars gaudeat ſanguine: albos Zephiris, & ſerenis tempeſtatibus; praſſinos Floræ, & Terræ; Venetos aquis, vel aeri, quia cæruleo ſunt colore; luteos, ideſt croceos, igni, & Soli; purpureos Iri ſacrauerunt, quem arcum dicimus, quòd is plurimos colores habeat. Sic circa cauſas quoque elementorum veteres etiam colores equorum iunxerunt. Hæc ex D. Iſidori doctrina excepta ſunt. De lituo autem ad Cæſaris occipitium, alibi abunde, ac de pileo ſacerdotali, dictum eſt.



IN CAES. IMAGINIS TVTVLATAE
IN TABVLAE CAPITVM
NVMMO V.
ET
C. COSSVTII MARIDIANI
A. A. A. F. F. NOTAS
IN TABVLAE POSTER. PARTIVM
NVMMO XXX.
COMMENTARIVS.







QVI ab vno latere habent Nummi argentei caput Cæsaris laurea coronatum, ac tutulo velatum more sacrificantium, cumq; ad occipitiũ pileo, sacerdotij symbolo, & scripto: CAESAR PATER PATRIAE, ac in posteriori parte inscripti sunt his litteris: C. COSSVTIVS MARIDIANVS A. A. A. F. F. signati fuere & eodem tempore, quo ipse Consul quartum, Dictator simul quartum, anno, vt diximus, vrbis DCCVIII. cognomen Patris patriæ, cum alijs magnificentissimis honoribus decreto Senatus Populiq; obtinuerat, testibus Liuio libro CXVI. Suetonio cap. LXXVI. Dio libro XLIV. & Floro in IV. Tutulus enim capitis operimentum fuit, quo, cum rem sacram facerent, sacerdotes vtebantur, sicut » Fulgentius in Vocum antiquarum libello scribit: Varro in Pontificalibus


ficalibus ait tutulos, ſacerdotes dici breuium deorum. Numa Pompilius & ipſe de Pontificalibus ſcribens, tutulum dici ait pallium, quo ſacerdotes caput tectabant, cum ad ſacrificium acceſſiſſent: ſicut & Virgilius ait:

Et caput ante aras Phrygio velatus amictu.

Tutulum genere neutro ait Feſtus vocari Flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & extructum in altitudinem. quidam pileum lanatum forma e tali figuratum, quo Flamines, ac Pontifices vtuntur, eodem nomine vocant teſte eodem. De pileo autem, Pontificis geſtamine, in Commentario nummi XIIX. copioſe ſcripſi. Primus enim, qui cognomen Patris patriæ habuit, fuit Cicero Conſul, qui, oppreſſa Catilinæ coniuratione, ſententia Catonis, Populo confirmante, ſic vocatus eſt, auctore Appiano libro Ciuilium II. & Plutarcho in Cicerone: vnde eſt illud Iuuenalis Satyra prima:


. . . . ſed Roma parentem
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Et Plinius libro VII. cap. XXX. Salue, inquit, primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum linguæq; lauream merite, & facundiæ Latiarumq; litterarum parens. Quod & Corn. Nepos, Salluſtius, atque poeta Lucanus, paſſimq; alij declarant. Secundus vero hoc cognomine decoratus eſt C. Iulius Cæſar, tertius Auguſtus, eiuſdem filius: ac deinceps cæteri Imperatores, adulatione potius, ac metu, quàm virtutis gratia, aut ciuium amore nuncupati ſunt.



VICTIS POMPEII LIBERIS,

ANNO AB VRBE CONDITA DCCIX. COS. V. DICT. V.



IN CAESARIS IMAGINIS IN TABVLAE CAPITVM NVMMO III. ET VENERIS GENETRICIS SIMVLACRI NOTAS, IN TABVLAE POSTER. PART. NVMMO XXXV. XXXVI. XXXVII.

COMMENTARIVS.











SEQVENTI vero anno, ipſo Cæſare quinctum & M. Antonio Cos. ante annum victo in Hiſpania iuniore Pompeio, ac Octobri menſe Romam reuerſo, vt Velleius ait, anno ab vrbe DCCIX. pro æde Veneris Genetricis, vt Liuius lib. CXVI. & Tranquillus capite LXXIIX. à Senatu perpetuo Dictatore deſignato, Conſuleq; ad decennium electo, inſuper prænomine Imperatoris,

& cognomine Patris patriæ, alijsq; honoribus diuinis acceptis, à L. Buca tres isti argentei nummi, vel aurei, signati sunt, cum C. Iuli Cæsaris effigie ab vno latere, & litteris: CAESAR DICT. PERPETVO. ab altero stante Veneris Genetricis, quæ & Victrix appellata, simulacro victoriunculam sustinente, cum hac inscriptione: L. AEMILIVS BVCA. in altero eadem cum Venere sedente, dextera similiter victoriunculam tenente, & scripto: L. BVCA. in tertio vero eiusdem cum numinis simulacro stante, læua conto innixo, itidem in dextra victoriæ imagunculam habente, & litteris: L. BVCA. in priori latere, capite Cæsaris, vt mos, lauro coronato, & titulo: CAESAR IMP. P. M. hoc est Cæsar Imperator, Pontifex maximus. De Cęsaris autem perpetua Dictatura sic Liuius libro CXVI. Cæsar ex Hispania quinctum triumphum egit, & cum multi, quam maximiq; honores ei à Senatu decreti essent; inter quos & Pater patrię appellaretur: & sacro sanctus, ac Dictator in perpetuum esset. Plutarchus item: In eius tamen fortunam proni ciues, accepto iam fræno, aliquam intestinis malis respirationem ex vnius principatu adhiberi posse credentes, eum perpetuo Dictatorem designauere. Tranquillus capite LXXVI. Non enim, inquit, honores modo nimios recepit, vt continuum Consulatum, perpetuā Dictaturam, Præfecturamq; morum, insuper prænomen Imperatoris, cognomen Patris patriæ, & Dictator in omnem vitam electus est, Consulq; ad decennium. Appianus Ciuilium II. Appellatus est Pater patriæ, & Dictator in omnem vitam electus, Consulq; ad decennium, &c. Dio libro XLIV. Confectis bellis ciuilibus, & complurimis à Senatu honoribus Cæsari decretis, ita subiungit: Dictatorem perpetuum appellari passus est. item Florus libro IV. Non ingratis ciuibus, omnes vnum in principem congesti honores, circa templa imagines, in theatro distincta radijs corona, suggestus in Curia, fastigium in domo, mensis in cœlo: ad hoc, Pater ipse patriæ, perpetuusq; Dictator nouissime, dubium an ipso volente, oblata pro Rostris ab Antonio Consule regni insignia. Venus porro Genetrix cognomēto, à Iulia

à Iulia præcipue gente colebatur: ſiquidem ab ea propter Iulium Aſcanium, Veneris nepotem, ipſam familiam defluxiſſe tradunt, vnde illa ſunt Lucretij:


Aeneadum Genitrix, hominum, Diuumq; voluptas,
Alma Venus.

ideo C.Iulium Cæſarem hanc deam non modo in pugna contra hoſtes inuocaſſe, verum etiam belli teſſeram fuiſſe, atque deſcriptam eius imaginem in armis habuiſſe, eaq; diplomata, libellos etiam, ac epiſtolas ſignaſſe, apud Dionem legas libro XLIII. In bello quoq; Hiſpanienſi contra Pompeium filium in acie eduxiſſe, inſignis loco Venerem Genetricem, vt prius contra Pompeium magnum, Appianus docet Ciuilium II. Poſt Africam deinde receptam, templum, quod in Pharſalia vouerat prælium initurus, Veneri Genetrici ædificaſſe, in eoq; perilluſtrem deæ imaginem Cleopatram collocaſſe, idem teſtis eſt. Ac de Venere Romæ culta, illud eſt Ouidij Faſtorum libro primo:

Et Venus Aeneæ regnat in vrbe ſui.

Plinius libri XXXV. cap. XII. vbi de plaſtice loquitur, Veneris Genetricis ſignum, Arceſilai opus, in templi atrio, quod Romanorum forum Cęſar eſſe voluit, prius quàm abſolueretur, feſtinatione dedicãdi poſitum fuiſſe, inquit. hoc enim pro templo equi illius inſignis, qui pedes prope humanos habuiſſe fertur, ſignum dedicaſſe, Suetonius ſcribit capite LXI. Plinius etiam lib. XXXV cap. IX. dicit, thoracem factum ex margaritis Britannicis Veneri Genetrici à Cæſare dedicatum fuiſſe, inſuper Medeæ & Aiacis imagines Timomachi picturas DCCC. talentis emptas (has à Cyzicenis H-S. XII. M. emptas fuiſſe, idem libri XXXV. cap. IV. ſcribit) ac ſex dactylothecas conſecraſſe, ait libri XXXVII. capite IV. & libri VII. capite XXXIIX. Illud minime prætereundũ videtur, quod idem Plinius tradit libri II. capite XXV. Veneri Genetrici, mox, occiſo Cæſare, ludos annuos cum ſacerdotum collegio à Cæſare filio inſtitutos fuiſſe, de quibus meminit etiam Tranquillus in Cæſare capite LXXXIIX. Præterea etiam ſciendum eſt, eundem Diui filium mox capta Aegypto, Cleopatræ

ornamenta, ac ſtatuam eiuſdem, quam in triumpho duxerat, indutam auro, huius Deæ poſuiſſe in templo, vt Dio libro LI. tradit. Veneris Genetricis meminit etiam Macrobus. Hanc quidem, & Victricem appellarunt, ideo cum victoriuncula in dextra effinxere, cum haſta in læua manu, à pedibus ſcuto. Duplici veſte induta eſt Venus Genetrix, ſeu quòd naturalis operatio fit in ſenſitiuis, & vegetatiuis animantibus, ſeu quòd duobus in elementis inferioribus, terra ſcilicet, & aqua, fit generatio; cum & Venus altera Victrix appelletur, (vnam tamen, vt in primi nummi Commentario dixi, poetæ volunt eſſe) quia quos mundi magnitudo homines vincere non potuit, libido ſæpe compreſit, vt Herculem (qui virtus, ſiue fortitudo interpretatur) Omphalis amor, Alexandrum Magnum Roxannæ, Iulium Cæſarem Cleopatræ, & Auguſtum Liuiæ; ſicuti etiam, ex ſacrarum litterarum teſtimonio, in Mithologijs Fulgentius tradit. Igitur hi nummi cum Veneris ſigno, tanquam eius auxilio omnium victor ipſe Cæſar extitiſſet, ſignati ſunt. hoc enim more Venus Victrix in nummis Fauſtinæ Antonini Pij habetur cum inſcriptione: VENERI VICTRICI. Cæterum de L.Buca, à quo nummus eſt ſignatus, nullã ſane apud ſcriptores mentionem inuenio; verum Buca oppidum fuiſſe Ferentanorum in quarta Italiæ regione, Plinium teſtem habeo libri III. capite XII. quod & Strabo libro V. ſcripſit, à quo fortaſſe Buca gens apud Romanos, licet Buccones, per duplex c, appellatos credunt, auctore Feſto, à buccarum magnitudine, vt inquit Cælius libri XXIV. capite V.



IN CAESARIS IMAGINIS
IN TABVLAE CAPITVM
NVMMO VIII.
ET
VENERIS GENETRICIS,
SIVE ROMAE SIMV-
LACRI, NOTAS,
IN TABVLAE POSTER. PART.
NVMMO XXXVIII.
COMMENTARIVS.






M. etiam Mettius ſignauit alterum nummum argenteum, in priori latere cum vultu Cæſaris laurea caluitium tegente, & his litteris inſcriptum: CAESAR IMP. in poſteriori, eiuſdem Veneris Genetricis ſimulacro breuiori amictu cincto, (licet nonnulli potius Romæ eſſe velint) cum globo à pedibus, ac ſcuto ratione ſupradicta, ita inſcriptum: M. METTIVS, & hoc vnico elemento, B. vel, vt in alijs, I. quos ad explicandos Sphinge opus eſt. Habetur hic nummus apud Antonium Caluum, Patricium Venetum. Mettios enim Romæ fuiſſe, ſupra ex Ciceronis teſtimonio iam declaratum eſt. De Veneris autem ſimulacro verba iam fecimus.

IN CAES. IMAGINIS TVTVLATAE,

IN TABVLAE CAPITVM NVMMO IX.

ET VENERIS GENETRICIS SIMVLACRI NOTAS,

IN TABVLAE POSTER. PARTIVM IN NVMMO XXVIIII.

COMMENTARIVS.







PARENTEM igitur Iuliæ gentis Venerem victoriarum gratia, quas ea duce Cæsar toto orbe terrarum consecutus fuerat, in plurimis nummis cum argenteis, tum aureis signo partim diuerso, Senatus Populusq; imprimi decreuit. Ex his aũt alios, in quorũ parte altera, qua est Cæsaris caput lauro redimitum, & ex occipitio stella radijs octo descripta, atque inscriptio: CAESAR DICT. PERPETVO. aliosq;, CAESAR IMP. & ab altera idem Veneris Genetricis, alias Victricis, simulacrum, cum litteris: P. SEPVLIVS MACER, eo quidem anno, quo & treis superius, signatos fuisse inscriptio ipsa declarat. Sidus enim illud Veneris est, quod, quia Soli præuenit, & summo mane candenti colore exoritur, Luciferi nomen accipit: contra, ab occasu quia refulget, nuncupatur Vesper. Cæsaris occipitio additum est, quòd Cæsar ex Venere genitus

genitus eſt, & Veneri cognomento Genetrici ſidus attribuitur. nam eius natura cuncta generantur in terris; iccirco eandem alij Iunonis, alij Iſidis, alij etiam Matris Deûm aſſeruere. nanque in alterutro exortu genitali rore conſpergens, non terram modo, verum animantia quoque omnia ſtimulat, ideoq; iecori præfici veteres tradidere. Siquidem, vt inquit Galenus, ex ſpiritu reſoluto ab hepate in toto efficit corpore, appetentiũ oblectantiumq;. Quippe Cæſar, cum ſe ex Venere natum, & Veneris ſidus in genitura habere perſuaſum haberet, ſtaturæ ſui corporis culturam adhibens, ſtudebat vt vulgus crederet, ab ea ſe & pulchritudinem & gratiam quandam habere, auctore Dione libro. I I. Quare ſuis id ipſe ſignum complurimis ſtatuis, imaginibusq; in nummis adſcribi paſſus eſt. Neque vanum hoc videbatur, quoniã Venerem, genituræ dominam, corpora producere longa, candida vel venuſta pulchritudine compoſita, molliora, delicatioraq;, cœleſtium rerum periti confirmant. Itaque Cæſarem ſtatura fuiſſe excelſa, colore candido, teretibus membris, circa corporis curã moroſiorem, à Suet. cap. XLV. & Plutarcho traditum eſt. Illud tamen obſeruatu eſt dignum, ſideris nota, quæ in nummis, Cæſare adhuc inter humanos agente, eſt deſcripta, Veneris eſſe, non Cometis: verum illa, quæ in nummis, poſt Cæſaris mortem impreſſis, efficta eſt, Cometis typum declarat. hocq;, tum crines additi, tum inſcriptio ea, quæ apotheoſim indicat, plane oſtendunt. Cæterũ de Veneris ſtella Plinius ait lib. II. cap. VIII. magnitudine cuncta alia ſidera ſuperare, claritatis quidem tantæ, vt vnius ſtellæ radijs vmbræ reddantur. ſigniferi ambitum peragere tricenis & duodequinquagenis diebus, neq; longius partibus XLVI. ab Sole vnquã abſcedere, ibidem ſcribit, atque cap. XVII. P. Sepullij nullã equidem mentionem apud ſcriptores habeo, verum Macros complures fuiſſe monumenta docent. Apud Ciceronem ad Atticum libri I. epiſt. III. & lib. IV. epiſtola XI. de quodam C. Macro, ac de Licinio ſimiliter cognomento Macro, cuius etiã nummus extat argenteus. Et in epiſtola IIII. lib. II. ad Quinctum Fratrem, mẽtio eſt, & apud Liuium lib. IX. apud

Plinium

Plinium libri XXXIII. cap. I. Fuit etiam Romæ Aemilius Macer, Veronensis poeta, qui herbas, serpentes, & volucres carmine complexus est, vt inquit Ouidius in IIII. Trist.

Sæpe suas volucres legit mihi grandior æuo,
Quæq; nocet serpens, quæ iuuat herba, Macer.

De hoc cum ipse in compluribus locis mentionem fecit, tum epistola ad eum scripta libro II. de Ponto. Hic floruit Augusti temporibus, perijt in Africa eiusdem Imperij anno XXVIII. vt Eusebius tradit, & meminit Crinitus libri Poetarum III. capite LII. Imperatoris prænomen inter honorificentissimos titulos Cæsari à Senatu decretum, supra ex Suetonij auctoritate ostendi, non illud quidem, quod ceteris Imperatoribus prisco more exercitus victores duci dare consueuerant, nam multas ob victorias & ipse id sæpius consecutus fuerat, verum illud, quo maximum, absolutumq; imperium declaratum est. De hoc enim prænomine Cæsari dato, sic scripsit Dio libro XLIII. Imperatoris quoque nomen, non antiqua tantum pro consuetudine, qua id cum alij, tum ipse quoque sæpius ex bello reportauerat, neque ea ratione, quòd ei merum imperium, absolutamq; potestatem deferrent, Cæsari tribuerunt, sed eo modo, quo nunc ijs, qui summum imperium obtinent, tum primo Cæsari primum imposuerunt, tanquam ipsi proprium: qui paulo post subiungit: Id vero nomen Imperatoris à Iulio, quemadmodum etiam Cæsaris nomen, tanquam peculiare summi imperij cognomentum, ad omnes deinceps Imperatores dimanauit, non tamen sublata antiqua huius nominis ratione, sed vtraque integra. itaque denuo Imperatoris nomen adsciscit, qui victoriam eo dignam obtinuit. Imperatoris igitur nomen, vt & reliqua, omnibus ex æquo Imperatoribus primum tribuitur: qui vero in bello rem eo cognomento dignam gessit, is antiqua consuetudine Imperator denuo salutatur: vnde fit, vt quis secundo, tertio, ac toties omnino, quoties id mereatur, Imperator nuncupetur. De hoc item prænomine sic scriptum reliquit Appianus in Lybicæ historiæ procemio: C. autem Cæsar superatis Romanis, imperioq; suscepto, & in potestatem

ſtatem redacto, formam quidem politiæ nomenq; ſeruauit, re autem principem ſe cunctis præſtitit. Eſtq; in hanc vſque ætatem eadem ſub vno poteſtas principe, quos neutiquã Romani reges appellant; vetus iuſiurandum, vt ego arbitror, in primis veriti: Imperatores eos dici maluere, quod priſcorum ducum nomen fuit. Sunt autem re ipſa vere reges. &c. Hic nummus vetuſtiſſimus in nobiliſſimo quidem honeſtiſſimi Torquati, Petri Bembi Cardinalis hæredis, Muſæo, inter alios pene innumerabiles ſpectatu digniſſimos nunc habetur.

IN CAESARIS IMAGINIS,
IN TABVLAE CAPITVM
NVMMO X. XI. XII.
ET
VENERIS GENETRICIS NOTAS,
IN TABVLAE POSTER. PARTIVM
NVMMO XXXIX. XL. XLI.
COMMENTARIVS.





PRAETEREA & nummus eſt tum argenteus, tum aureus, cum eadem inſcriptione: MACER, Veneris ſigillo, ſcutum, & pilam in regionibus diuiſam, habente, propter nationes armis, duce ipſa dea, ſibi, totis trium orbis partium angulis, Aſiæ, Europæ, atque Africæ, ſubiectas. In auerſa facie cum capite Cæſaris laurea corona velato, & ſtella, vt dixi, ex

occipitio, ac titulo: CAESAR IMPER. in alio, apud Rinaldum Odonium ciuem Venetum: CAESAR DICT. PERPETVO. Qua ratione & in alijs videre est, eandem Venerem cum scuto, & globo, vt supra, in regionibus diuiso, dextra porrecta malum sustinere, hac circumscriptione: C. MARIDIANVS, qui fuit æris, argenti, auri flandi feriundi Triumuir: de quo supra. Verum, quod attinet ad lauream coronam, Cæsaris perpetuum gestamen, sciendum est, hoc quidem tempore cum caluitij deformitatem iniquissime ferret, obtrectatorum sæpe iocis obnoxiam expertus, ex omnibus decretis sibi à Senatu Populoq; honoribus, non aliud recepisse, aut vsurpasse libentius, quàm ius coronæ laureæ perpetuo gestandæ, quod tradit Suetonius capite XLV. de qua & Dio meminit libro XLIII. hoc etiam innuit Appianus lib. Ciuilium II. vbi dicit: Triumphalibus indutus ornamentis continue sacra ferebat.



IN CAESARIS IMAGINIS
IN TABVLAE CAPITVM
NVMMO XIII.
ET
MILITARIOR. SIGNORVM,
ARATRI, ET VIRGAE
NOTAS.

IN TABVLAE POSTER. PARTIVM
NVMMO XLII.
COMMENTARIVS.






Vatvor subinde notæ in vetustissimo alio numismate habẽtur apud egregium virum Torquatum Bembum, cum inscriptione: ti. sempronivs graccvs (aliæ litteræ propter vsum consumptæ non apparent) in altera parte, cum Cæsaris facie sine aliquo titulo. Prima enim nota signum est militare cohortis, quod vexillo, ac lunari effigie, pateris duobus, & bilance compositum est. Quę sequitur aquila, tanquam in legione princeps Romanorum fuit singulare signum, quam, cum victoriæ Ioui in bello contra Titanos, dum cœlo sacrificaret, auspicium ei fuisset propitium, & victoriam consecutus fuisset, ac pro tam felici omine, in signis bellicis simulacrum aureum haberi voluisset, tutelæq; suæ virtuti

dedicaſſet, Romani in militari ſigno ſuſceperunt, vt Fulgentius in Mithologijs tradit. Ego cũ de hac, tum de cohortium ſignis, quantum materia poſtulat, in nummis Galbæ principis verba feci. Altera porro nota, aratrum eſſe, ex Tiberij, & Caligulæ Imperatorum nummis æreis, in quibus iuuenci duo, cum bubulco ſub aratoris geſtu conſpiciuntur, & Diui Veſpaſiani argenteis, cum ijſdem animalibus iugatis, hoc cum inſtrumento, deprehendimus. Poſtrema vero nota, ſceptri effigiem refert. hoc, vt Deos, ſic Reges, Imperatores, Conſules, exercituum Præfectos, atq; Prætores vſos fuiſſe ſatis notum eſt. At primum quis fuerit Tiberius iſte Sempronius Graccus, conquirendum eſt. Imperiti quidam arbitrati ſunt, Graccum illum Sempronium fuiſſe, qui in Hiſpania pro Conſule Celtiberos in deditionem accepit: vel Tiberium huius filium, Cai fratrem, qui pernicioſiſſimam legem agrariam pertulit. quod ſane conſtare non poteſt, ob magnum temporum interuallũ. Apud Velleium Paterculum poſteriori volumine, de quodam Sempronio Gracco legitur, violatore domus Auguſtæ, ob adulterium commiſſum cum Iulia, Auguſti filia, Tiberij vxore. Huius mentionem facit Tacitus Annalium libro primo, his verbis: Par cauſa ſæuitiæ in Sempronium Graccum, qui familia nobili, ſolers ingenio, & praue facundus, eandem Iuliã in matrimonio M. Agrippæ temerauerat; nec is libidini finis. traditam Tiberio peruicax adulter cõtumacia & odijs in maritum accendebat. litteraſq;, quas Iulia patri Auguſto cum inſectatione Tiberij ſcripſit, à Gracco compoſitæ credebantur. Hoc fortaſſe, aut huius patre, Quæſtore ſub Cæſare, nummus percuſſus fuit. Notatu hoc perinde dignum eſt monumentum, Graccus nomen per duplex c à veteribus fuiſſe ſcriptum, non cum aſpiratione h, vt in omnibus fere libris impreſſis legi, præterquam apud Solinum, vbi recte ſcriptum inuenio. Cæterum de ſignis duobus militaribus, quæ infra ſunt, videlicet vexillo, & aquila, & de aratro, hoc moris fuit apud veteres, pro ſymbolo coloniarum ductarum in oppida, militaria ſigna, vel iuuencos duos cum viro aratrum ſuſtinente, vel vtrunque ſimul, in nummis exculpere, vnde an-

de an-

de antiqua illa inſcriptio eſt Terracinæ coloniæ, in templo: IVSSVM IMPERATORIS CAESARIS QVA ARATRVM DVCTVM EST. eo quòd monumenta teſtantur Cæſarem complurimas duxiſſe colonias. In Luſitania treis: Pax Iulia, quæ hodie Baidoiz: Scalabis, ſiue Præſidium Iulium, quæ hodie trugillo: Oliſippum, alias Felicitas Iulia. In Bætica duæ: Atubi, ſiue Claritas Iulia: ac Ituci, ſiue Virtus Iulia. in Tarraconenſi, Iulia Obricia, quæ poſtea Flauia. In Gallia Narbonenſi vna, Pacenſis Claſſica, Forum Iulij Octauianorum. In Dacia Apulum, hodie Alba Iulia: in Syria Cœleſiria, Berytus felix Iulia, quæ poſtea Auguſta, ab Auguſto Cæſare. In Aegypto Pharus. In Italia ſex (fuiſſe, monumenta teſtãtur,) Capua ſcilicet, Iulia Felix dicta: Caſſilinum: Forum Iulij: Pola, Pietas Iulia dicta: Hipſella, & Nouocomum, vt ipſarum indicant nomina: de quarum alijs Nummi, vel lapides vetuſti: deq; alijs Paullus Iuriconſ. Plinius, Ptolomæus, Tacitus, Vlpianus Iuricons. Frontinus, Cicero, & Appianus teſtati ſunt. Suetonius capite XXX. & Plutarchus, ſcribunt Cæſarem eo quidem tempore, quo Galliarum imperium obtinebat in Ciſalpina Gallia, in eo oppido, quod tunc dicebatur Comum, coloniam duxiſſe quinque inquilinorum millia, è quibus quingenti illuſtriſſimi Græci fuere, eumq; Nouocomum appellaſſe. Et Dio libro XLIII. prodit, ſic & Plutarchus, confectis à Cæſare ciuilibus bellis, eo Dictatore quinctum, complurimas in Italia nouas ædificaſſe vrbes, & Corinthum, ac Carthaginem, iam pridẽ erutas, à fundamentis erexiſſe, & in eas colonos duxiſſe. Verum diſſentiens Appianus in fine libri Alexandrini, & Libyci, tradit, Cæſarem, ſomno monitum poſt victoriam de Pompeio, Dictatorem primum de Carthagine reficienda tantummodo in Commentarium ſuum retuliſſe; moxq; Romam regreſſo, quum reficere eam deſtinaſſet, à coniuratis de medio ſublato, ab Octauio Cæſare eius filio poſtea id opus perfectum fuiſſe; ita ſcribens: Procedente „ mox tempore, cum C. Graccus tribunatum plebis Romæ ge- „ reret, coorta ſeditione ex inopia, viſum eſt ad ſex mille colonos „ ſorte ductos in Libyam mittere. Verum deſignatis mœnibus circa vrbem,

ca vrbem, lupi fundamenta iam cœpta diſſipaſſe euertiſſeq; dicuntur. qua ex cauſa Senatui ab ædificatione continere placuit. Poſterius vero C.Cæſarem, qui Dictator ex victoria creatus, Pompeium in Aegyptum, ac deinde amicos eius ex Aegypto in Libyam fugientes proſequentem, caſtris apud Carthaginem poſitis, per ſomnum vidiſſe memorant exercitum ingentem lacrymis ante ſe vbertim deplorantem, eaq; viſione territum ſibi ad memoriam ſcripſiſſe, Carthaginem denuo reficiendam eſſe. Itaque non multo poſt cum Romam redijſſet, tenuioribus agros ab illo depoſcentibus ſic ordinem dediſſe, quaſi nonnullos ex his Carthaginem, nonnullos Corinthum eſſet dimiſſurus. Cæterum illo in Senatu occiſo, à ciuibus Octauium Cæſarem, qui poſtea Auguſtus cognominatus eſt, inuentis huiuſmodi à patre ſcriptis, Carthaginem, quæ nunc eſt,erexiſſe. verum aliquanto ſubmiſſiorem, cum priſcæ eminentiam vrbis vereretur condidiſſe. Colonos ex Romanis ter mille à principio illuc miſſos fama eſt, reliquos ex finitimis in vnum collectis additos. In hunc modum Romani Carthaginenſibus olim parentem Libyam ſibi ſubegere, & Carthaginis vrbem à fundamentis erutã, reſtituere denuo poſt euerſionem duobus & centum elapſis annis. Plutarchus ſic de his meminit: Ad conciliandum etiam ſibi militum animos, quaſdam deduxit colonias, ex quibus clariſſimæ ſunt Carthago atq; Corinthus. Verum aut harum vrbium ædificationis, aut aliarum cauſa,ad coloniam profecto aliquam, vel ad plureis à Cæſare ductas hic nummus ſpectat, ideoq; ſceptrũ, quod, vt diximus,magiſtratuum fuit inſigne,& ex ebore factũ erat,vt Ouidius in illo Faſt.l.1.

Celſior ipſe loco, ſceptroq; innixus eburno,

additum eſt cum alijs inſignibus. nam colonias qui poteſtatem mittendi habebant, ſiue Imperatores, ſiue Conſules, aut Duumuiri, vel quauis alia dignitate inſigniti eſſent, qui Populi Romani maieſtatem repræſentaſſent, hoc inſigni decorati fuere. Sed de colonijs latius ſuis locis.

IN VICTORIAE IMPLVMIS, SIVE CORINTHI VRBIS IMAGINIS, ET BELLEROPHONTIS CHIMAERAM OCCIDENTIS NOTAS IN NVMMO XLIII.

COMMENTARIVS.







ERVM ſiue à C. Iulio Cæſare, ſiue ab Octauiano, eius filio, ducta ſit Corinthus colonia, vetus ex ære Corinthiorum extat nummus, cum vrbis capite fœmineo, ſiue Victoriæ implumis, ab altera Bellerophontis pegaſo ſuper æquo Chimæram occidentis ſigno, atque inſcriptione: COL. L. IVL. COR. hoc eſt: Colonia Latinorum Iulia Corinthus. Siquidem Corinthum coloniam à Cæſare deductam fuiſſe, Dionis atque Plutarchi teſtimonijs ſupra declaratum eſt. Duo enim coloniarum fuere genera, quæ à Pop. Romano deducebantur, nanque aliæ ciuium Romanorum, aliæ Latinæ dicebantur, quæ ius Latij, hoc eſt ius petendi magiſtratus in ciuitate Romana adipiſcerẽtur, vt Parma, & Mutina, quæ Romanæ ſunt, & Bononia quæ Latina, Liuio teſte libro XXXIIX. & ex Strabone, Pediano, & Tranquillo in Cæ-

ſare

ſare capite VIII. deprehenditur. Erant præterea coloniæ, quibus ius Italiæ dabatur. Erant & Latinorum veterum, quæ & Latij veteris appellabantur: quales in Hiſpania multas fuiſſe, refert Plinius. de quibus omnibus latiſſime apud Sigonium in ſuis de iure Latij libris, & de colonijs, propediem in lucem prodituris. ſic Latina colonia Corinthus fuit. Bellerophontem itaque genere Corinthum fuiſſe, apud Palephatum lego. Hic pulcher quidē iuuenis & optimus cum eſſet, à Stenobea, vel, vt Fulgentius, Antia, fœmina laſciua, Prœti vxore, de coitu interpellatus, eam repulit, quare ab ea indignata apud maritum de violentia accuſatus, ad ſocerum illius Iobatem proficiſci iuſſus, à quo mox in vltionem criminis ad Chimæram & Solymos expugnādos miſſus eſt, vt ſub prætextu patrandæ glorię in ea pugna interiret. Verum Solymis ipſe & Chimæra deuictis, fabula fertur fuiſſe conficta, ibiq; in valle quadam extare Piſandri eius filij ſepulcrum, qui in bello ceciderat, apud Strabonem legere eſt libro XIII. Ideo Corinthij præclari facinoris ciuis eorum memores, eius exemplum in nummis impreſſere. Chimæram enim aiunt Lyciæ montem fuiſſe, in imo leonibus & ſerpentibus inhabitabilem, in medio autem paſcua eſſe, cuius è vertice ſummo flammarum globos, admodum Aetnæ in Sicilia, vt Solinus dicit, & Veſuuij in Campania erumpere inquiunt, vnde datus eſt fabulæ locus, vt Chimæra monſtrum dicatur tria capita habere, vnum leonis, aliud Chimæræ, hoc eſt capellæ, aliud draconis, illorumq; capita ignem efflare; de quo Lucretius:

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra.

inde & Ouidius Metamorph. VI.

Quoque Chimæra iugis, medijs in partibus hircum,
Pectus & ora leæ, caudam ſerpentis habebat.

Quare & Homerus inquit:

Γρόςε λέων ὄπιθεν δέ δράκων, μεσσή δε χίμαιρα.

Heſiodus quoque in Theogonia triceps monſtrum fuiſſe oſtendit his verſibus.

ἡδε

ἡδὲ χίμαιραν ἔτικτε πνέουσαν ἀμαιμάκετον πῦρ,
Δεινήντε, μεγάλην τε, ποδώκεά τε, κρατερήν τε.
Τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαὶ, μία μὲν χαροποῖο λέοντος,
ἡ δὲ χιμαίρης, ἡ δ' ὄφιος κρατεροῖο δράκοντος,
Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.
Τὴν μὲν πήγασος εἷλε, καὶ ἐσθλὸς Βελλεροφόντης,

Palephatus autem inquit, iuxta Xantum fluuium, Telmiſo in monte, tres tantum aditus fuiſſe, duo ex anteriori parte ciuitatis Xanthiorum, alterum retro ex Caria, reliquas vero rupes fuiſſe; in medio ingentem terræ hiatum, ex quo ignis exibat; in his etiã altum montem, cui nomen erat Chimæra, cuius in anterioribus aditibus habitaſſe leonem, retro vero draconem: quem in montem Bellerophontem igne immiſſo, ſiluam atque ſimul feras comburentem, habitabilem feciſſe: ex quo fabulam fictam eſſe, ſcribit. De Chimeræ item forma Homerus Iliados libro VI. ita ſcribit: Principio imperat, vt Chimæram expugnet, atque occidat, animal indomabile, inexpugnabile, neque humano, ſed diuino genere ortum, anterius quidem leonem, poſterius uero draconem, medio autem capram, atque terribiles ex ore flammarum globos cum ſpiritu effundẽtem. Seruius itaque eandem, quam Homerus, formam deſcribit: vnde ab Horatio triformis appellatur. hinc Ouidius Triſtium libro IIII.

Eſſe canes vtero ſub virginis, eſſe Chimæram,
A truce quæ flammis ſeparat angue leam.

Chimæram perinde ex Echidna & Tiphone natam eſſe, poſtremo à Bellerophonte, pegaſi auxilio, occiſum eſſe, poetæ fingunt. Pegaſus autem, equus alatus, ex ſanguine Meduſæ natus eſt ſecundum Ouidium, & Fulgentium; vel Meduſæ filius à Neptuno genitus, vt Aratus dicit, cum Bellerophontem excuſsiſſet, in cœlum ſubuolaſſe, & inter ſidera ab Ioue collocatus traditur. Euſebius autem, & ante eum Palephatus, Bellerophontis animum coercitum ſignificari tradunt. nam leonem, fortitudinem; capram, procacitatem, atque laſciuiam, cui ille fortiter obſtitit; draconem, inſultum, pugnamq; periculoſam interpretari aiunt,

ex quo emanauit illud Horatij dictum, cum de iuuenis perdito amore loqueretur,

Vix illigatum te triformi
Pegasus expediet Chimæra.

Chimæra enim, vt in Mythologijs Fulgentius libro III. narrauit, quasi κυμέρωτος, ideſt fluctuatio amoris, interpretatur. Ideo etiã Chimæra pingitur, quia amoris treis modi ſunt, hoc eſt incipere, perficere, & finire. Dum enim amor recens venit, vt leo feraliter inuadit, vnde & Epicharmus ait, δαμαστὴς ἔρως λεοντεία δυνάμει θάλερος, ideſt domitor cupido leonina virtute vireſcẽs. Nam & Virgilius in Georgicis tetigit, dicens:

Catulorum oblita leæna
Sæuior errauit campis.

At vero capra, quæ medio pingitur, perfectio libidinis eſt, illa videlicet cauſa, quòd huius generis animal ſit ad libidinem valde procliuum: vnde Virgilius in Bucolicis ait: Hœdiq; petulci. Ideo & Satyri cum caprinis cornibus pinguntur, quia nunquam ſaturantur libidine. At vero, quòd dicitur poſtremum, draco illa ratione ponitur, quia poſt perfectionem vulnus det pænitentiæ, venenumq; peccati. Erit hic ordo dicendi, quod primum ſit in amore inchoare; ſecundum, perficere; tertium, pænitere de perfecto vulnere. ſic Fulgentius. Præterea Cælius Lectionum antiquarum ex Theogoniæ Heſiodi interpretibus. ſic de Chimæra verba fecit lib. XIII. cap. IX. (in hoc enim ſua gloria eruditiſſimum virum fraudare nolo) Nunc illud enotamus, inquit, Chimæram ſenſu allegorico, tres thetoricæ partes indicare: dicanicum, ſiue iudiciale: panegyricum, ſeu demonſtratiuum: ſymbulenticum, vel deliberatiuum: vt leo dicanicum præferat genus, quod exterret, ac elingues quodammodo ex aduerſum dicentes conſtituit. Chimæra vero, ideſt capra, panegyrici obtineat typũ: quia laſciuiat lætius ſimul qui dicit, ſimul etiam qui audit. Symbuleuticum genus draconis eſſe aiunt, quod varium in primis ſit, ac πολύστροφον, id eſt multarum conuerſionum, & longiore ad perſuadendum orationis tractu vtatur. Monſtri vero mater, ab Heſiodo

ſiodo dicitur Echidna (ego in ſequentium numiſmatum Commentarijs Echidnæ imaginem ex antiquis nummis deſcripſi) quã non eſſe aliud volunt, quàm ποικίλον νοῦ καὶ πολυειδῆ, ideſt variam multiformemq; mentis vim, aut longiorem, πολύελικτον, ideſt multiplicibus implicitam ſpiris artem, Chimæræ inſtar ignis euomentem globos. Cæterum pro ingeniorum tamen captu, ſunt qui varie admodum Chimæræ figmentum, ad veritatem reuocent, nam, vt miſſa faciamus alia, eſt qui ἠθικῶς eſſe Chimæram putet vitiorum quandam varietatem, ac multiformem, perinde ac Chimera eſt, vim: quam perimit Bellerophon, ideſt vir bonus prudensq;, qui Bellerophon nuncupatur, velut malorum occiſor: nam ex dialecto, bellera vocantur mala, id eſt τὰ βέλλερα. hactenus Cælius. Bellerophon itaque Latinæ ſapientiæ conſiliatorem interpretatur, teſte Fulgentio ex Homeri, & Menandri auctoritate. Antion vero contrarium, & prætos Pamphila lingua ſordidum dici, idem tradit, Heſiodo ſcribente, Cum ſimili fere ſigillo percuſſus & alter eſt nummus æreus, tam in anteriori parte, quàm in auerſa, cum inſcriptione Græca, vt vides, ex qua vetuſtate conſumpta, vix illa elementa depromere potuimus.



C· IVLI CAESARIS NVMISMATA.

QVAE EIVS POST MORTEM EDITA SVNT. ANNO VRBIS DCCIX.



IN DIVI IVLI IMAGINIS IN TABVLAE CAPITVM NVMMO XIIII. ET VITVLI, NOTAS. IN TABVLAE POSTER. PARTIVM NVMMO XLV.

COMMENTARIVS.







Cciso Cęſare Idibus Martijs per ſexaginta coniuratores, qui in eum conſpirauerant, Senatu ſpectante, moxq; Antonij Conſulis hortatu, de more conſecrato, nummi ſignati ſunt cum Cæſaris imagine, & ab occipitio eius lituo, cum ſcripto: DIVI IVLI, à tergo vituli ſigillum, cum his litteris ſupra: Q. VOCONIVS: ſub

ſub pedibus, VITVLVS. Animal hoc analogice cognomen Voconij oſtendit. cuius exemplum ex nobiliſſimo honeſtiſſimi Torquati Bembi Muſæo accepi. Voconiorum enim familiam Romæ fuiſſe, tum ex Q. Voconio Saxa tribuno pl. intelligi poteſt, à quo lex nobilis de mulierum hæreditatibus lata eſt, tum etiam ex vetuſtis lapidibus, qui in Saguntio Hiſpaniæ oppido ſunt, compertum eſt.

VOCONIVS . ROMANVS.
PATRI . OPTIMO.
ex alio ibidem,
C. VOCONIO C. F. GAL.
PLACIDO.AED. II. VIRO II.
FLAMINI. II. QVAESTORI.
SALIORVM MAGISTRO.
item
POPILIAE L. F. RECTINAE
AN. XVIII. C. LIGINVS C. F.
GAL. MARITVS VOCONIVS
ROMANVS VXORI.

Voconiorum cognomento Vitulorum gentem fuiſſe, ex antiquo marmore in Germania, quod eſt in vico Frauenſte, intelligitur:

MARTI . LEVCETIO. PRO
SALVTE . IMP. DOMINI. N.
AVG. PII. Q. VOCONIVS.
VITVLVS LEG. XXII. PR. P.F.
PONENDVM. CVRAVIT.

Quinetiã Voconiorum gentem perilluſtrem Romæ temporibus Cæſaris fuiſſe, indicat Cicero Epiſtolarum ad Atticum libri VIII. „ epiſtola XXIII. inquiens: Sed memento, præter Appium, nemi- nem eſſe fere, qui ius non habeat tranſeundi: nam aut cum impe- „ rio ſunt, vt Pompeius, vt Scipio, Setenas, Fannius, Voconius, „ Sextius. Quis igitur hic fuerit Voconius, non ex loco Cicero- „ nis ſolum, ſed etiam ex demonſtratis monumentis iam planum fieri poteſt.

IN

IN DIVI IVLI IMAGINIS, IN TABVLAE CAPITVM NVMMO XV. ET VITVLI A Q. VOCONIO VITVLO Q. NOTAS. IN POSTERIORVM PARTIVM NVMMO XLVI. COMMENTARIVS.





ED & Cæſaris imagine, alter nummus argenteus tantummodo aſper eſt, in auerſa parte Vituli ſigno ac litteris, ſupra: Q. VOCONIVS, infra S. C. ſub pedibus, VITVLVS Q. DESIGN. qui habetur apud Torquatū Bembum, Petri Bembi Cardinalis hæredem, virum & ſuauitate morum, & benignitate præſtantiſſimum. Ex Quæſtoribus alij fuere ærarij, qui & vrbani appellabantur; alij prouinciales. Vrbanorum autem munus fuit, pecuniam publicam in ærarium delatam in tabulas publicas referre, vnde Varro Quæſtores ærarij dictos ſcribit, qui pecunias conquirerent publicas, teſte etiam Tacito libro XIII. Alexender ab Alex. Genial. Dierum libri II. cap. II. de Quæſtore Vrbano ita inquit: Nam & » ærarij, & vectigalium Populi Romani curam geſſere: tum ſi quid » pecuniarum

pecuniarum publice vel priuatim erogari, vel in ærarium condi deberet. Quæſtorum curæ demandabatur, cumq; exercitus ſcribi, & in campum legiones educi oporteret, ſigna militaria à Quæſtoribus ex ærario promebantur, eaq; ad Conſules in expeditionem ituros mittebantur. hæc ille ex Liuio, Cicerone Verrinarum prima, ex eodem in Prætura vrbana, ex Epiſtolarum ad Quinctum Fratrem libri primi epiſtola prima, & ex Aſconio in Diuinationem, didicit. Idem paulo poſt vrbanam Quæſturam primum magiſtratum fuiſſe, qui adoleſcẽtibus daretur, inquiens: Licet Quæſtura ex minoribus magiſtratibus in vrbe foret, eius tamen dignationis erat, vt optimus quiſque & bonæ indolis adoleſcens, ex illa gradum ad reliquos honores faceret. nanque hinc aditum reliquis ineundis magiſtratibus auſpicabatur: ſiquidem primis experimentis Quæſturę initiati, qui nullis ante honoribus vſi erant inculpatæ vitæ teſtimonio, ad ædilitatem, mox præturam, & demum Conſulatum euehebantur. ſic ille. Prouinciales porro ij erant Quæſtores, qui cum Imperatoribus Romanis, hoc eſt cum Conſulibus, & Prætoribus in prouincijs ad exigenda vectigalia, ac tributa, omnemq; pecuniam adminiſtrandam, prædam, ac manubias in rationes publicas ad ærarium referendas à Populo mittebantur, vt apud Liuium legere eſt. multas quoque pecuniarias cura fuit tam Romæ, quàm in prouincijs exigere, & in publicis tabulis notare; omniumq; rerum pecuniarumq; notas, & illuſtres rationes dare: illasq; confectas per ſuos ſcribas in ærarium deponere. hos Theſaurarios bellicos hodie appellant. quorum etiam ius quandoque fuiſſe extra vrbem faſcibus vti, interdum cum ſecuribus, eiuſdem libri primi capite XXVII. legere eſt. Imperatoris etiam, ſuoq; nomine argentum, aurumq; ſignare ius habuere, vt in nummis antiquis à me obſeruatum eſt. Quæſtores enim moris fuit tum ex plebe, tum patricijs promiſcue creari, quod Cicero oſtendit Epiſtolarum ad Atticum libri VI. epiſtola VI. ſcribitq; Feneſtella capite III. de Magiſtratibus. Auctorem præterea habemus Dionem libro XLIII. poſt Hiſpaniam à Cæſare ſubactam, ab eo Quæ-


ſtores

ſtores vſque ad numerum XL. deſignatos fuiſſe: quorun fortaſſe ex numero hic fuerit Voconius: atque apud eunden Cæſarem Commentariorum de Bello Gallico libro primo, ſigulis legionibus, ſingulos legatos, & Quæſtorem præfeciſſe, vti eos teſtes ſuæ virtutis haberet, memoriæ proditum eſt.



AEGY-

AEGYPTO CAPTA A CAESARE AVGVSTO ANNO VRBIS DCCXXII.



IN DIVI IVLI IMAGINIS IN TABVLAE CAPITVM NVMMO XVI. ET CROCODILI SIGILLI, NOTAS, IN TABVLAE POSTER. PARTIVM NVMMO XLII.

COMMENTARIVS.







AEGYPTVS, felix, ac potens nauibus, frumento, atque pecunijs, Cn. Pompeio à Cæſare victo, & ab Achilla, exercitus regij præfecto, Photino eunucho, theſauri cuſtode, Theodoro Samio, regis præceptore, & à Septimio, Tribuno militum, interfecto, vt Cæſar ſcriptum reliquit libro Ciuilium bellorum III. Dio XLII. & Florus IIII. vel à Sempronio Romano, vt Appianus Ciuil. II. poſt diuturnam, admodumq; periculoſam cum Ale-

 xandri-

xandrinis dimicationem, in poteſtatem redacta eſt. quo autem pacto hoc acciderit, breuiter attingam. Audito Cæſar Pompeij ab eo victi in Aegyptum tranſitu, ſolita feſtinatione ſua, cum nemini patefeciſſet iter, Alexandriam clam peruenit: quo in loco à regijs miniſtris perbenigne receptus eſt. forte rex moram circa Caſſium montem adhuc agebat cum copijs, vt Cleopatræ, ſuæ ſororis, armis, quibus in ſe bellum parabat, obſiſteret, quæ Aegypto eiecta, exercitu regnum, ſibi æque ac fratri à patre relictũ, vendicare conabatur: ſiquidem Ptolemæus pater teſtamento reliquerat, vt Cleopatræ ſorori Ptolemæus filius, natu grandior, more Aegyptiorum regum, matrimonio coniungeretur, ſimulq́; regnarent, ac tutorem Pop. Romanum haberent. ſed per regis propinquos atque amicos expulſa fuerat. Tunc Alexandrini, cũ Cæſarem Cos. Cleopatræ forma accenſum, Cleopatræ regnum daturum eſſe ſuſpicarentur, in eum concitati ſunt. quare ipſe tunc palam defuncti patris Ptolemæi teſtamentum protulit, dicens ad ſe Conſulem atque Dictatorem, potentiã Pop. Romani in manu habentem, controuerſias regum pertinere: atque ita ex duobus filijs maiorem natu Ptolemæum, & ex filiabus eam, quæ ætate antecedebat, Cleopatram, cum minor natu eſſet Arſinoe, regnũ adminiſtrare iuſſit, teſte ipſo Cæſare Ciuil. III. & Dione XLII. Mox Photino, & Achilla, in Pompeium commiſſi ſceleris præmio, morte multatis, Theodoroq́; fugiente in Aſiam à Caſſio cruce ſuſpenſo, iterum tumultuatis, cum regium exercitum in eũ concitaſſent, prælio tandem, iuxta Nilum victi ſunt, quo flumine regis cadauer poſtea cum lorica aurea inuentum eſt anno vrb. DCCV. ipſo iterum Cos. & Dictatore. Cleopatram autem fratris loco, ob ſtupri gratiam, ſolam regnum Cæſar voluit obtinere. ſed veritus, ne Aegyptij, ob feminæ imperium, aliquid iterum nouarent, eam cum alio minori fratre in matrimonium coniungere ſtatuit, & verbis quidem vtrique regnum tradidit, re autem Cleopatram ſolam reginam conſtituit. Sic Aegyptus à Cæſare primum capta eſt, ſed Romano tunc haud ſubacta eſt imperio: Octauiani ſubinde Cæſaris temporibus, victa ab eo Cleo

patra

patra cum Antonio nauali certamine apud Actium promontorium anno vrbis DCCXXII, prouinciæ formam accepit: eamq; primus apud Alexandrinos Cornelius Gallus administrauit. cuius ob rei memoriam, hic argenteus nummus cum alijs partim diuersis, in Diuiq; patris reuerentiam, ab Augusto signatus est cum eiusdem Diui Iuli effigie ab vno latere, & Cometæ, vt opinor, sigillo; ab altero vero Crocodili imagine; cuius beluæ rationem, atque Cometis, oportuniori loco in numismatibus eiusdem Augusti explicabo. Hæc autem ex Cæsaris Commentariorum de Bello Ciuili libro III. & IIII. Liuij CXII. Appiani II. Dionis XLII. Flori IIII. Suetonio, Plutarcho in Pompeio, & in Cæsare, Sex. Ruffo, & Eusebij Chronicis, accepimus. Huius autem nummi copiam mihi fecit egregius vir, Ioannes Sambucus Tirnauiensis, Pannonius, antiquitatum amantissimus.



IN DIVI IVLI IMAGINIS,
IN TABVLAE CAPITVM
NVMMO
ET
CVRRVI ELEPHANTORVM, NOTAS,
IN TABVLAE POSTER. PARTIVM
NVMMO XLIII.

COMMENTARIVS.





NOVIMVS ex æreo vnciali fere numiſmate, impreſſo poſt Cæſaris mortem, quod ſane haud vetus comperi, ſed, vt mea tulit opinio, recenter flato, licet nonnulli, qui hoc ſtudium profitentur, ab exemplari perantiquo exceptum fuiſſe arbitrentur, de quo in præſenti meam non ſum laturus ſententiam, donec de meo iudicio teſtimonio veteris nummi certior factus fuero: quæ tamen ad notæ pertinent explicationem, minime prætereunda iudicaui. Fortuna igitur Cæſari breui tempore quinque nobiliſſimorum triumphorum materiam præbuit, Gallici, Alexandrini, Pontici, Africi, atque Hiſpanienſis, vt Liuius docet libro CXV. & CXVI. quattuor, poſt deuictum Scipionem, ac Iubam, eodem menſe, ſed interpoſitis diebus egit, vt Tranquillus refert cap. XXXVII. nouiſſimum autem poſt ſuperatos Pompeij liberos. Primus enim de Gallia fuit triumphus, in quo plurimas, & maximas duxiſſe nationes

nationes, Appianus inquit Ciuilium II. in hocq; Rheni, atque Rhodani fluuiorum, & ex auro captiui Oceani ſimulacra, inter pompæ fuere geſtamina. Sequenti vero triumpho, qui fuit Aegyptius, in ferculis Nilus, Arſinoe regina, & ad ſimulacrum ignium ardens Pharus, teſte Floro, de quo & Dio libro XLIII. Deinde Ponticum de Pharnace: inter cuius pompę fercula trium verborum prælatus eſt titulus, Veni, vidi, vici. quæ verba à Thuſco Romano prius dicta fuiſſe, ſupra memorauimus. Huic proximus fuit Libycus, non de Scipione, ſed de Iuba, & Mauris, in quo captiuus filius Iuba quoque nomine, qui poſtea inter doctiſſimos ſcriptores rei ruſticæ numeratus eſt, tunc infans admodum ducitur, Plutarcho tradẽte, atq; Appiano. ex his ſubactas prouincias, Hiſpaniam, Pharſaliam, & Thapſum, Appianus memoriæ prodidit, triumphis per ſimulacra, & imagines inſcriptas, hominumq; clades pariter expreſſas fuiſſe, viros quoque ſimilitudinibus varijs ſcriptisq; repræſentatos, Pompeij imagine excepta. Hos quidem triumphos duxit tertium ipſe Conſul, ſimulq; tertium Dictator anno vrbis DCCVII. Deinde quartum Dictator, atque totidem Conſul ſequenti anno, profligatis iunioribus Pompeijs, de Hiſpania egit triumphum, & Munda oppidum præferebatur. Inde Velleius, Quinque egit triumphos, inquit, Gallici apparatus ex citro, Pontici ex acantho, Alexandrini teſtudine, Africi ebore, Hiſpanienſis argento raſili conſtitit. Hic Velleij locus poſtulare videtur, vt meã de hoc ſententiã proferã, quis fuerit ex citro Gallici triumphi apparatus; Alexandrini ex teſtudine, Pontici ex Acantho, Africi ex ebore, & qui Hiſpanienſis ex argento raſili; quod à pleriſque viris doctis ignoratum audio. Hunc igitur in primis Gallici triumphi apparatum, intelligo currum, in quo Cæſar triumphauerat, atque oppida, vel ſimulacra, in triumpho prælata, ex citri ligno fuiſſe confecta: Siquidem hoc ad luxuriam veterum lectulorum, & menſarum in ornamentis attuliſſe, Plinius indicat libri XVI. cap. XLIII. Quod Cicero Verr. VI. hiſce verbis etiam declarauit: Tu maximam, & pulcherrimã menſam citream à Q. Lutatio Diodoro, qui, Q. Catuli beneficio,

cio, à L. Sylla ciuis Rom. factus, omnibus ſcientibus Lilybæi abſtuliſti. & Martial. lib. IX. ita oſtendit:

Et teſtudineum menſus quater hexaclinon,
Ingemuit citro non ſatis eſſe ſuo.

An intelligendum eſt, militum triumphum comitantium veſtes citrino fuiſſe colore, inſuper ianuam palatij, ac Iouis optimi max. templi poſtes, totumq; Capitolium ornatum fuiſſe? Citrus enim arbor priſcis Romanis Imperatoribus fuit rariſſima, nobis notiſſima vulgatiſſimaq; eſt, à Plinio libri XII. capite III. Aſyria dicta; & à Dioſcoride, Medica: nam è Medorum prouincia alias in regiones tranſlata eſſe dicitur. Arbor quidem nobiliſſima eſt, quæ ſola apud Atlantem montem in Mauritania naſci dicitur, quondam ob raritatem ſuam gratiſſima, teſte Theophraſto libri IIII. cap. IIII. cuius etiam fruticum fumo, ijs ſuper ardentibus aris impoſitis, rem ſacrã facere moris fuiſſe, docet Plin. lib. XIII. cap. I. quod etiã Romæ in coloſſeæ Traiani elegãtiſſimis columnæ ſcalpturis comperimus. Cæterũ de hac arbore ſcitu digniſſima legere eſt apud Theopraſtũ loco ſuperius citato, apud Dioſcoridem lib. I. cap. CXXXII. apud Plinium libri XII. cap. II. libri XIII. cap. I. libri XV. cap. VII. XIIII. XIIX. libri XVI. cap. XLIII libri XVII. cap. X. & libri XXIII. cap. IIII. & cap. VI. ſed planius apud doctiſſimum, totoq; de genere humano benemeritum Andream Mathiolum Senenſem, medicum, philoſophum, in Dioſcoridis libros; & apud eos, qui ab ipſo Mathiolo citantur.

Ex Acantho Ponticum triumphum Cæſar egit. Acanthus enim arbor eſt in Aegypto, ſemper frondens, vt oliua, & laurus: acanthos dicta, quia ſpinis eſt plena, qua abundat etiam Circina inſula, Seruio teſte in illis Maronianis Georgicorum ſecundo.

Aſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoasq; domos Arabum, pictosq; Gelonos.
Diuiſæ arboribus patriæ. ſola India nigrum
Fert hebenum: ſolis eſt thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaq;, & baccas ſemper frondentis acanthi?

Ex

Ex quo ligno, veluti de citro dixi, possumus interpretari currum triumphi in Pontici fabricatum fuisse, hostium postes, & reliqua exornata, vel militum clamydes ex acantho herba contextas fuisse: siquidem herba quædam acanthus quoq; dicta est, cuius lanugine vestimenta texebantur, sericarum vestium instar, teste Dioscoride libri III. capite XVI. vnde & illud est Virgilij Aeneidos primo:

. . . . . . pallam signis, auroq; rigentem,
Et circumtextum croceo velamen acantho.

Et Statij Siluarum libro III.

Hic tibi Sidonio celsum puluinar acantho
Texitur, & signis crescit torus asper eburnis.

Inde & Plinius libri XXII. cap. XXII. inquit, Acanthus est topiaria & vrbana herba, elato longoq; folio, crepidines marginum, assurgentiumq; puluinorum toros vestiens. Ex quo conijcitur nobilissimam herbam fuisse, cum hac puluinaria deorũ induerentur, vt ex Statio, & Plinio, qui & libri XXIIII. cap. XII. ita scriptum reliquit: Huic similis est spina illa, quam Græci acanthion vocãt, minoribus multo folijs, aculeatis per extremitates, & araneosa lanugine obductis: qua collecta etiam vestes quædam bombicinis similes fiunt in Oriente. Ex acantho igitur, vt dictum est, arbore currus triumphales, oppida, & reliqua facta fuisse, aut ex herba eodem nomine appellata, palatium, & templa exornata, vias, quibus triumphus ducebatur, stratas, atque opertas fuisse, existimari potest. In Alexandrino triumpho item apparatum è testudine fuisse intelligendum, hoc est, currum triumphalem, & quæ in triumpho res præferebantur, testudinibus in laminas sectis exornatas: nam testudinum putamina secare in laminas apud Romanos in vsu fuisse ad lectos, & repositoria vestienda, pro ornatu, Plinius scribit libri IX. cap. XI. qui & auctor est, testudines ad hoc officium idoneas fuisse, ob earum magnitudinem, quam tantam fuisse ait, vt earum teguminibus, vice nauigiorum, Indico in mari vterentur; vel inter insulas rubri præcipue maris his nauigare cymbis, atque singulorum superficie in Carmaniæ

angulo

angulo apud Chelonophagos casas tegere, ibidem tradit, atque libri VI. capite XXIV. qua quidem magnitudine & in Taprobana insula testudines reperiri, idem scripsit libri VI. cap. XXII. vnde illud est supra recitatum Martialis libri IX. carmen:

Et testudineum mensus quater hexaclinon.

nam antiquis summo in pretio fuit testudineum hexaclinon, hoc est stibadium, quo fulti discumbebant conuiuæ, sex lectos cœnatorios capiens, quos ex operæ testudineato facere Carbilium Pollionem primum instituisse, apud eundem Plinium legere est libri IX. capite XI. De cuius operis genere meminit idem etiã libri XVI. capite XLIII. De Africo porro triumpho ex ebore, illud sane intelligendum est, quod de præcedentium triumphorum ornamentis. ex ebore enim non modo deorum simulacra, mensarum pedes, ac ipsas mensas, lectulos, vehicula, sellas, ensium etiam vaginas, sceptra, aliaq; complurima opera cõficere, vel adornare, vti nunc etiam in complurimis operibus moris est, verum etiam currus exornare, ac imagines, quæ in triumphis præferebantur, vel oppidorum signa ex ebore facta gestare, scriptorum monumenta plane declarant, præsertim Dionis libro XLIII. qui de Hispaniensi Cæsaris triumpho scribens ita inquit: Proinde triumphum (cum non modo de extraneo hoste nullo victoriam reportasset, sed tantum etiam ciuium numerum perdidisset) non ipse tantum duxit, exhibito iterum populo prandio tanquam in communi quadam felicitate, sed Fabio etiam, Pedioq;, legatis suis, quiq; nihil proprijs auspicijs gesserant, triumphandi potestatem fecit. qua in re id risum multum excitauit, quòd ij imaginibus, ferculisq; non nullis non eburneis, sed ligneis vtebãtur. Quibus quidem verbis manifestissime apparet moris fuisse inter pompæ triumphorũ gestamina ex ebore signa præferre, quod vel Quinctiliani testimonio inferius declaratur. Sed & de hoc genere, vt etiã de citro, ac testudine, his verbis Plinius mentionem fecit lib. XVI. cap. XLIII. Hæc, inquit, prima origo luxuriæ, arborem alia integi, & viliores ligno pretiosiores cortice fieri, vt vna arbor sæpius veniret. Excogitatæ sunt & ligni bracteæ. nec satis. cœpere

pere tingi animalium cornua, dētes secari, lignumq; ebore distingui, mox operiri. Placuit deinde materiem & in mari quæri. Testudo in hoc secta. Nuperq; portentosis ingenijs principatu Neronis inuentū, vt pigmentis perderet se, plurisq; veniret imitata lignum. Sic lectis pretia quæruntur, sic terebinthum vinci iubent sic citrum pretiosius fieri, sic acer decipi. Modo luxuria nō fuerat contenta ligno, iam lignum emi testudinem facit. Hinc Quinctilianus eburnea oppida Cæsaris in triumpho prælata esse testatur lib. VI. cap. IV. vbi dicit: Ea dicatur sane fictio: vt Chrysippus, cū in triumpho Cæsaris eborea oppida essent translata, & post dies paucos Fabij Maximi lignea, thecas esse oppidorū Cęsaris dixit. Argēto pręterea rasili Cæsarem quinctū egisse triumphum, Velleius cum dixerit, nil aliud intelligi voluisse, mea est opinio, quàm imagines hominū deuictorum, simulacra vrbium, fluminum, prouinciarū, atque ipsum fortasse currum ex rasili argēto fuisse, hoc est quasi raso, & nihil extantis aut redundantis plenitudinis, vt interpretatus est Valla lib. I. cap. VIII. vel, vt ego arbitror, rasili, idest non cælato, quod est contrariū argento aspero, idest cælato: quòd scilicet simulacra illa confecta fuisse ex argenteis laminis planis, rasisq;, & politis, quæ intus vacua forent. qua cum de re differerem cum Tiberio Deciano, & cum Carolo Sigonio, uiris sane veterum rerum peritissimis, probare meam opinionem visi sunt. Suetonius scriptum reliquit, Cæsarem Capitolium ascendisse ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus: ex quibus quatuor atque sexaginta in victoria Libyca captos fuisse, testem habemus A. Hirtium de Bello Africo libro V. Hac enim in occasione videtur nummus æreus percussus, (si quidem perantiqui hoc sigillo inueniuntur nummi) cum imagine Cæsaris ab vno latere, & scripto: DIVI IVLI. ab altero autem cum curru triumphali ab Elephantibus quatuor ducto, superq; currum ipso Cæsare triumphante sinistra manu laurum gestante; fortasse currui ex ære Cyprio exemplo alicuius in sublimi loco positi. Verum nummum ex notis infra impressis Aegyptium esse opus comperi: nanque

hoc ex alijs Canopicis, Alexandrinis, Heliopolitanis, aliarumq; præfecturarum nummis, obſeruatum eſt. in quibus explicandis non paruo mihi adiumento fuere ſacrę Aegyptiorum literæ, ex vetuſtiſſima atque admirabili tabula Bembea à me nuper edita, & Imperatori Ferdinando miſſa. Cæſarem porro elephantibus curru iunctis triumphaſſe, ex huius nummi teſtimonio patet, quem tamen poſt Cæſaris mortem ſignatum eſſe, ipſa inſcriptio, DIVI IVLI, quæ eſt in anteriori facie, oſtendit.


FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE ET OMISSA ADDE.

Pag. 26. versu 33. partioue; lege, partitione.
Pag. 35. versu 15. interpretatur; adde, ascribitur, hacq; de caussa circa Apollinis simulacrum etiam addita cernitur.
Pag. 69. versu 15. Plinium; adde, & Solinum. ibid. uersu 29. soli; lege, Solinus.
Pag. 70. versu 15. prænomen; adde, esse. ibid. uersu 22. antiquas male legisse; lege ita: antiquas aut non uidisse, aut male legisse.
Pag. 73. versu 31. & 32. potuit; adde, miles.
Pag. 76. versu 2. Seruius in illa libri VI. lege, Seruius de Miseni funere loquens in illa libri VI.
Pag. 91. versu 26. muniò; lege, municipio.
Pag. 96. in fine; adde, De magistratu autem pecuniæ feriendæ latè in sequenti libro, in Augusti Commentarijs, uerba fecimus.
Pag. 109. versu 5. trugillo; lege Trugillo. ibid. uersu 11. & 12. dele. ( )
Pag. 114. versu, 31. & 32. symbulenticum; lege symbuleuticum.
ibid. uersu 34. persuadendumorationis; lege persuadendum orationis.
pag. 119. uersu. 9. fuisse; adde, ait. ibid. uersu 15. usierant; lege, usi erant.


AL DVS

RERVM OMNIVM MEMORABILIVM QVAE IN PRIMO COMMENTARIORVM IN CAESARVM NVMISMATA LIBRO CONTINENTVR INDEX.



B

Berytus

Cereale

Fuluia

Latinæ

Sympu-

=pe=

